ILLVSTRIS VIRI THOMÆ Mori Regni Britanniarum Cancellarii,

DE OPTIMO REIPVBLICÆ STATV, DEQVE NOVA INSULA VTOPIA,

LIBRI DVO:

SCRIPTVM VERE AVreum, nec minus salutare, quàm festiuum, quod ex Erasmi Roterodami, Guilielmi Budæi, aliorumque magnorum virorum commendationibus, quæ Epistolis præfixis continentur, liquidum dubitantibus euadet.

Nunc tandem bibliotaphis subreptum, & in gratiam Politicorum, consilio & cura Magnifici Domini Eberarti von Weihe/ illustriss. ac potentiss. Principi ac Domino, Dn. Mauritio, Hessiæ Landgrauio, &c. à consiliis, editum.

FRANCOFVRTI

Ex Officina Chalcographica Ioannis Saurii, sumptibus Petri Kopffii.

M. DCI.

HEXASTICHON ANEmolii poëtæ laureati, Hythlodæi ex ſorore nepotis in Vtopiam inſulam.

VTopia priſcis dicta, ob infrequentiam,
Nunc ciuitatis æmula Platonicæ,
Fortaſſe victrix (nam quod illa literis
Deliniauit, hoc ego vna præſtiti,
Viris & opibus, optimiſque legibus)
Eutopia merito ſum vocanda nomine.

THOMAS MORVS PETRO ÆGIdio S. D.

PVDET me propemodum charissime Petre Ægidi, libellum hunc de Vtopiana republica, post annum fermè ad te mittere, quem te non dubito intra sesquimensem expectasse. quippe quum scires mihi demptum in hoc opere inueniendi laborem, neque de dispositione quicquam fuisse cogitandum, cui tantum erant ea recitanda, quæ tecum unà pariter audiui narrantem Raphaëlem. quare nec erat quod in eloquendo laboraretur, quando nec illius sermo potuit exquisitus esse, quum esset primum subitarius, atque extemporalis, deinde hominis, vt scis, non perinde Latine docti quàm Græce, & mea o-

ratio quanto accederet propius ad illius neglectam simplicitatem, tanto futura sit propior veritati, cui hac in re soli curam & debeo & habeo. Fateor mi Petre, mihi adeo multum laboris hiis rebus paratis detractum, vt penè nihil fuerit relictum. alioquin huius rei vel excogitatio, vel œconomia potuisset ab ingenio neq; infimo, neque prorsus indocto postulare, tum temporis nonnihil, tum studii. Quod si exigeretur, vt disertè etiam res, non tantum vere, scriberetur, id vero à me præstari, nullo tempore, nullo studio potuisset. Nunc vero quum ablatis curis hiis, in quibus tantum fuit sudoris exhauriendum, restiterit tantum hoc, vti sic simpliciter scriberentur audita, nihil erat negocii. Sed huic tamen tam nihilo negocii peragendo, cætera negocia mea minus ferè quàm nihil temporis reliquerunt. Dum causas forenseis assidue alias ago, alias audio,

audio, alias arbiter finio, alias iudex dirimo, dum hic officii causa visitur, ille negocii. Dum foris totum fermè diem aliis impartior, reliquum meis, relinquo mihi, hoc est literis, nihil. Nempe reuerso domum, cum vxore fabulandum est, garriendum cum liberis, colloquendum cum ministris. Quæ ego omnia inter negocia numero, quando fieri necesse est (necesse est autem, nisi velis esse domi tuæ peregrinus) & dando omnino opera est, vt quos vitæ tuæ comites, aut natura prouidit, aut fecit casus, aut ipse delegisti, hiis vt te quàm iucundissimum compares, modo vt ne comitate corrumpas, aut indulgentia ex ministris dominos reddas. Inter hæc, quæ dixi, elabitur dies, mensis, annus. Quando ergo scribimus? Nec interim de somno quicquam sum loquutus, vt nec de cibo quidem, qui multis non minus absumit temporis, quàm somnus ipse,

qui vitæ absumit fermè dimidium. At mihi hoc solum temporis adquiro, quod somno ciboq́; suffuror, quod quoniam parcum est, lente, quia tamen aliquid, aliquando perfeci, atque ad te mi Petre transmisi Vtopiam, vt legeres, & si quid effugisset nos, vti tu admoneres. Quanquam enim non hac parte penitus diffido mihi (qui vtinam sic ingenio atque doctrina aliquid essem, vt memoria non vsquequaque destituor) non vsqueadeo tamen confido, vt credam nihil mihi potuisse excidere. Nam & Ioannes Clemens puer meus, qui adfuit, vt scis, vnà, vt quem à nullo patior sermone abesse, in quo aliquid esse fructus potest, quoniam ab hac herba, qua & Latinis literis & Græcis cœpit euirescere, egregiam aliquando frugem spero, in magnam me coniecit dubitationem. Siquidem quum, quantum ego recordor, Hythlodæus narrauerit A-

mauroticum illum pontem, quo fluuius Anydrus insternitur, quingentos habere passus in longum, Ioannes meus ait detrahendos esse ducentos, latitudinem fluminis haud supra trecentos ibi continere. Ego te rogo, rem vt reuoces in memoriam. Nam si tu cum illo sentis, ego quoque adsentiar, & me lapsum credam. sin ipse non recolis, scribam, vt feci, quod ipse recordari videor mihi. nam vt maxime curabo, ne quid sit in libro falsi, ita si quid sit in ambiguo, potius mendacium dicam, quàm mentiar, quod malim bonus esse quàm prudens. Quanquam facile fuerit huic mederi morbo, si ex Raphaële ipso, aut præsens sciscitaris, aut per literas. quod necesse est facias, vel ob alium scrupulum, qui nobis incidit, nescio mea ne culpa magis, an tua, an Raphaëlis ipsius. Nã neque nobis in mentem venit quærere, neque illi dicere, qua in parte noui

Nota Theologicã differentiã inter mẽtiri & mẽdacium dicere.

illius orbis Vtopia sita sit. Quod non fuisse prætermissum sic, vellem profecto mediocri pecunia mea redemptũ. vel quod subpudet me nescire, quo in mari sit insula, de qua tam multa recenseam. vel quod sunt apud nos vnus & alter, sed vnus maxime, vir pius & professione Theologus, qui miro flagrat desiderio adeundæ Vtopiæ, non inani & curiosa libidine collustrandi noua, sed vti religionem nostram, feliciter ibi cœptam, foueat atque adaugeat. Quod quo faciat rite, decreuit ante curare, vt mittatur à Pontifice, atque adeo vt creetur Vtopiensibus Episcopus, nihil eo scrupulo retardatus, quod hoc antistitium sit illi precibus impetrandum. Quippe sanctum ducit ambitum, quem non honoris aut quæstus ratio, sed pietatis respectus pepererit. Quamobrem te oro mi Petre, vti aut præsens, si potes commode, aut absens per epistolam, compelles

Sanctus ambitus.

Hythlo-

Hythlodæum, atque efficias, ne quicquam huic operi meo aut insit falsi, aut veri desideretur. Atque haud scio an præstet ipsum ei librum ostendi. Nam neque alius æque sufficit, si quid est erratum, corrigere. neque is ipse aliter hoc præstare potest, quàm si quæ sunt à me scripta, perlegerit. Ad hæc: fiet vt hoc pacto intelligas, accipiat ne libenter, an grauatim ferat, hoc operis à me conscribi. Nempe si suos labores decreuit ipse mandare literis, nolit fortasse me: neque ego certe velim, Vtopiensium per me vulgata republica, florem illi gratiamque nouitatis historiæ suæ præripere. Quanquam, vt vere dicam, nec ipse mecum satis adhuc constitui, an sim omnino æditurus. Etenim tam varia sunt palata mortalium, tam morosa quorundam ingenia, tam ingrati animi, tam absurda iudicia, vt cum hiis haud paulo felicius agi videatur, qui iucundi atq;

Ingrata hominũ iudicia.

hilares, genio indulgent suo, quàm qui semet macerant curis, vt ædant aliquid, quod aliis aut fastidientibus, aut ingratis, vel vtilitati possit esse, vel voluptati. Plurimi literas nesciunt, multi contemnunt. Barbarus vt durum reiicit, quicquid non est planè barbarum. Scioli aspernantur vt triuiale, quicquid obsoletis verbis non scatet. Quibusdam solum placent vetera, plerisque tantum sua. Hic tam tetricus est, vt non admittat iocos. hic tam insulsus, vt non ferat sales: tam

Simos, vocat homines nullo naso.

simi quidam sunt, vt nasum omnem, velut aquam ab rabido morsus cane, reformidet. adeo mobiles alii sunt, vt aliud sedentes probent, aliud stantes. Hi sedent in tabernis, & inter pocula de scriptorum iudicant ingeniis, magnaque cum autoritate condemnant vtcunque lubitum est, suis quenque scriptis, veluti capillicio vellicantes, ipsi interim tuti, & quod dici solet,

ἔξω

ἔξω βέλους. quippe tam leues & abrasi vndique, vt ne pilum quidem habeant boni viri, quo possint apprehendi. Sunt præterea quidam tam ingrati, vt quum impense delectentur opere: nihilo tamen magis ament autorem, non absimiles inhumanis hospitibus, qui quum opiparo conuiuio prolixe sint excepti, saturi demum discedunt domum, nullis habitis gratiis ei, à quo sunt inuitati. I nunc & hominibus tam delicati palati: tam varii gustus: animi præterea tam memoris & grati, tuis impensis epulum instrue. Sed tamen mi Petre, tu illud age, quod dixi, cum Hythlodæo. postea tamen integrum erit hac de re consultare denuo. Quanquam si id ipsius voluntate fiat, quandoquidem scribendi labore defunctus, nunc sero sapio. quod reliquum est de ædendo, sequar amicorum consilium, atque in primis tu-

Prouerbium.

Mira collatio.

um. Vale dulciſſime Petre Ægidi cum optima coniuge. ac me vt ſoles ama, quando ego te amo etiam plus quàm ſoleo.

ERA-

ERASMVS ROTERODAMVS IOANni Frobenio compatri suo charissimo S. D.

CVM antehac omnia Mori mei mihi supra modum semper placuerint, tamen ipse meo iudicio nonnihil diffidebam, ob arctissimam inter nos amicitiã. Cæterũ vbi video doctos vno ore omneis meo subscribere suffragio, ac vehementius etiam diuinum hominis ingenium suspicere, non quod plus ament, sed quod plus cernãt, serio plaudo meæ sententiæ, nec verebor post hac quod sentio, palàm eloqui. Quid tandem non præstitisset admirabilis ista naturæ felicitas, si hoc ingenium instituisset Italia? si totum Musarum sacris vacaret, si ad iustam frugem ac velut autumnum suum maturuisset? Epigrammata lusit adolescens admodum, ac pleraq; puer. Britanniam suam nunquam egressus est, nisi semel atque iterum, principis sui nomine legatione fungens apud

Flandros. Præter rem vxoriam, præter curas domesticas, præter publici muneris functionem, & causarum vndas, tot tantisque regni negociis distrahitur, vt mireris esse ocium vel cogitandi de libris. Proinde misimus ad te progymnasmata illius, & Vtopiam, vt si videtur, tuis excusa typis orbi posteritatique commendentur. Quando ea est tuæ officinæ autoritas, vt liber vel hoc nomine placeat eruditis, si cognitum sit è Frobenianis ædibus prodisse. Bene vale cum optimo socero, coniuge suauissima, ac mellitissimis liberis. Erasmum filiolum mihi tecum communem, inter literas natum, fac optimis literis instituendum cures. Louanii VIII. Calen. Septem. An. M. D. XVII.

GVILIELMVS BVdæus Thomæ Lupseto Anglo S.

Gratiam sane ingentem à nobis iniisti Lupsete adolescentum doctißime, qui me porrecta mihi VTOPIA THOMÆ MORI, *ad iucundißimæ simul & vsui futuræ lectio-*

lectionis intentionem auertisti. Nam cum à me dudum precibus id contendisses, id quod meapte ipse sponte magnopere exoptaturus eram, vt THOMÆ LINACRI *medici vtraque lingua præstantißimi libros sex de sanitate tuenda legerem, quos ille ex Galeni monumentis latinitate nuper ita donauit, vel quibus ipse potius latinitatem, vt si omnia eius autoris opera (quæ ego instar omnis medicinæ esse puto) latina tandem fiánt, non magnopere tum medicorum scholæ Græcæ linguæ cognitionem desideratura videatur. eum librum ex schedis* LINACRI *tumultuaria lectione ita percurri (quarum mihi vsum tantisper à te indultum summi loco beneficii duco) vt ea lectione multum me profecisse existimem, sed ex libri æditione, quæ nunc à te sedulo procuratur in officinis huius vrbis, ego maiorem etiam profectum mihi spondeam. Hoc nomine cum me tibi obstrictum esse satis crederem, ecce tu mihi velut prioris beneficii vel appendicem vel auctarium* VTOPIAM *illam* MORI *donasti, hominis in primis acris, ingenioque amœno, & in rerum humanarum æstimatione veteratoris. Eum librum cum ruri in manibus*

bus cursitando, satagendo, operis imperitando haberem (partim enim nosti, partim audisti, villaticis me negociis alterum iam hunc annum multum operæ impendisse) vsque adeo eius lectione affectus sum, cognitis & perpensis Vtopinorum moribus & institutis, vt penè rei familiaris procurationem intermiserim, atq; etiã abiecerim, cum nugas esse viderem artem omnem industriamque œconomicam, omnino curam census ampliatricem. qua tamen ipsa omne genus mortalium velut œstro quodam intestino & congenito exagitari nemo est, qui non videat & intelligat. vt legitimarum, propè dixerim & ciuilium artium ac disciplinarum eum esse scopum, fateri necesse sit, vt tam liuida quã accurata solertia alter ab altero, qui cum ciuilitatis ius ei & interdum gentilitatis intercedit, quippiam semper abducat, abstrahat, abradat, abiuret, exprimat, extundat, exculpat, extorqueat, excutiat, excudat, subducat, suffuretur, suppilet, inuolet, legibusq; partim conniuentibus, partim autoribus auferat & interuertat. Id adeo magis in iis gentibus apud quas iura quæ ciuilia & pontificia vocantur, amplius in vtroque foro

valent.

valent. Quorum moribus & institutis eam inualuisse opinionem nemo non videt, vt homines cautionum prudentes vel captionum potius, & inconsultorum ciuium aucupes, & formularum, id est, excipularum opifices, ac pactilis iuris callentißimi, & litium concinnatores iurisq́; contrauersi, peruersi, inuersi, consulti, antistites esse iustitiæ æquitatisque existimentur, soliq́; digni qui de æquo bonoq́; responsitent, atq; etiam (quod maius est multo) qui cum imperio ac potestate statuant, quid vnumquenque habere, quid non habere, quatenus quam diuq́; liceat. halucinantis id vtique sensus communis iudicio. quippe cum plerique hominum craßis ignorantiæ lemis cœcutientes, tam æquißimam ferè causam vnumquenque putemus habere quàm maximè ius postulat, aut iure subnixus est. Cum si ad veritatis normam, & ad simplicitatis Euangelicæ præscriptum exigere iura velimus, nemo sit tam stupidus quin intelligat, nemo tam væcors quin fateatur si vrgeas, tam ius & fas hodie ac iamdiu in sanctionibus pontificiis, & ius atque æquum in legibus ciuilibus & principum placitis dissidere, quàm CHRISTI rerum humana-

rum

rum conditoris instituta, eiusque discipulorum ritus, ab eorum decretis & placitis qui Crœsi & Midæ aceruos bonorum finem esse putant, & felicitatis cumulum. adeo si iustitiam finire nunc velis, quomodo priscis autoribus placuit, quæ ius suum vnicuique tribuat, vel nullibi eam in publico inuenias, vel (si dicere id mihi permittam) culinariam quãdam dispensatricem esse, vt fateamur, necesse sit. siue nunc imperitantium mores spectes, siue ciuium inter se & popularium affectus. Nisi vero à germana mundique æquali iustitia (quod ius naturale vocant) manasse ius id contenderint, vt quo quisque plus polleat, eo etiam plus habeat. quo autem plus habeat, eo plus eminere inter ciues debeat. quo fit vt iam iure gentium receptum esse videamus, vt qui nec arte nec industria memorabili iuuare ciues suos & populares possunt, si modo pactiles illos nexus & contractiles nodos teneant, queis hominum patrimonia obstringuntur, quosque vulgus ignarum, hominesque literis humanioribus dediti ac procul foro, animi causa aut veritatis indagandæ ergò agentes, partim Gordii vincula esse ducunt, partim circulatoria, nec magnopere miran-

miranda, ii millenorum ciuium censum, & sæpe singularum ciuitatum, aut etiam ampliorem habeant. iidemque tum locupletes, tum frugi homines, tum magnifici conquisitores honorifice vocitentur. Quippe iis seculis, iis institutis, iis moribus, in iis gentibus quæ id ius esse statuerunt, vt tam summa fide atq; autoritate quisque sit, quàm maximis opibus penates suos architectatus est, ipse hæredesque eius. idque eo magis atque magis, quo eorum ad nepotes horumque rursus abnepotes patrimonia à maioribus parta, luculentis certatim accessionibus cumulauerint, id est, quo longius latiusque confines, affines, cognatos, consanguineosque summouerint. At vero CHRISTVS *possessionum conditor & moderator, Pythagoricam communionem & charitatem inter asseclas suos relictam, luculento sanxit exemplo, damnato capitis Anania ob temeratam communionis legem. Quo certe instituto* CHRISTVS *omne iuris, istius ciuilis pontificiique adeo recentioris argumentosa volumina, inter suos quidem abrogasse mihi videtur. quod ipsum ius hodie arcem tenere prudentiæ videmus, ac fata nostra regere.* VTOPIA *vero*

insula.

insula, quam etiam VDEPOTIAM appellari audio, mirifica vtiq; sorte (si credimus) Christianos vero ritus ac germanam ipsam sapientiam publice priuatimq; hausisse perhibetur, intemeratamque ad hunc vsq; diem seruasse, vtpote quæ tria diuina instituta, hoc est, bonorum malorumque inter ciues æqualitatem, seu malis ciuilitatem numeris omnibus suis absolutam, & pacis ac tranquillitatis amorem constantem ac pertinacem, & auri argentique contemptum consertis (vt aiunt) manibus retinet, tria (vt ita loquar) euerticula omnium fraudū, imposturarum, circumscriptionum, versutiarum, & planicarum improbitatum. Superi suo nomine facerent, vt hæc tria VTOPIANÆ legis capita trabalibus clauis firmæ ac statæ persuasionis in sensibus omnium mortalium figerentur, protinus superbiam, cupiditatem, cōtentionem væsanam, atq; alia penè omnia vulnifica Stigii aduersarii tela concidere languereque videres, iurisque illam voluminum vim immensam, tot eximia solidaque ingenia ad libitinam vsq; detinentia, vt cassa & vacantia teredinibus permitti, aut inuolucris officinarum dicari. Proh diui immorta-

mortales, quænam Vtopianorum sanctitas eam diuinitus beatitudinem emereri potuit, vt auaritia & cupiditas in eam vnam insulam irrumpere, aut irrepere tot seculis non potuerint, nec inde iustitiam cū pudore proteruitate sua impudentiâque explodere & exigere. Deus nunc optimus maximus tam benigne cum iis prouinciis egisset, quæ ab eius sacratißimo nomine cognomentum retinent & amplectuntur: certe auaritia tot mentes alioquin egregias arduasq; deprauans & pessundans, semel hinc facesseret, & aureum seculum Saturniumque rediret. Hic enimuero periculum esse quispiam autumarit, ne forte Aratus & poëtæ prisci opinione falsi fuerint, qui Iustitiam è terris decedentem in signifero circulo collocauerunt. restitisse enim eam in Vtopia insula necesse est, si Hythlodæo credimus, nec dum in cœlum peruenisse, verum ego Vtopiam extra mundi cogniti fines sitam esse percunctando comperi, insulam nimirum fortunatam, Elysiis fortasse campis proximam, nam Hythlodæus nondum situm eius finibus certis tradidit, (vt Morus ipse testatur) multas quidem ipsam in vrbes distractam, sed vnam in ciuitatem coëuntes aut

con-

conspiranteis, nomine Hagnopolin, suis vtiq; ritibus bonisque acquiescentem innocentia beatam, cœlestem quodam modo vitam agentem, vt infra cœlum, sic supra mundi huius cogniti colluuionem. Quæ in tot mortalium studiis vt acribus & incitatis, sic inanibus & irritis turbide & æstuose in præcipitium rapitur. Eius igitur insulæ cognitionem THOMÆ MORO *debemus, qui beatæ vitæ exemplar, ac viuendi præscriptum ætate nostra promulgauit, ab Hythlodæo, vt ipse tradit, inuentum, cui omnia fert accepta. qui vt Vtopianis ciuitatem architectatus sit, ritusq; illis & instituta condiderit, id est, beatæ vitæ argumentum nobis inde mutuatus sit, & importarit,* MORVS *certe insulam & sancta instituta stilo orationeque illustrauit, ac ciuitatem ipsam Hagnopolitanorum ad normam regulamque expoliuit, omniaque ea addidit, vnde operi magnifico decor venustasque accedit, & autoritas. etiam si in ea opera nauanda sibi tantum partes structoris vendicauit. videlicet religio fuit maiores sibi partes in eo opere sumere, ne Hythlodæus iure queri posset gloriam sibi à* MORO *præcerptam, perfloratamque relinqui, si*

quando suos ipse labores literis mandare constituisset. Εὐλαβουμένου δῆθεν αὐτοῦ, μὴ ὑθλόδαιος αὐτὸς ὁ τῇ ὀυδεποτίᾳ γε νήσῳ ἐμφιλοχωρῶν ἐπιφανείς ποτε δυσχεραίνει καὶ βαρύνοιτο ταύτην ἀγνωμοσύνην αὐτοῦ τοῦ γε ἐγκαταλιπόντος αὐτῷ περιαπλωθισμένον τὸ κλέος τοῦ εὑρέματος τούτου. οὕτω γὰρ πεπεῖσθαι, περὶ ἀνδρῶν ἐστὶν ἀγαθῶν τε καὶ σοφῶν. *MORO autem homini per se graui, & autoritate magna subnixo, fidem planè vt habeam, efficit Petri AEgidii Hantuerpiensis testimonium, quem virum nunquam coràm à me cognitum (mitto nunc doctrinæ morumq; commendationē) eo nomine amo quod ERASMI clarißimi viri ac de literis sacris, profanis, omneque genus meritißimi, amicus est iuratißimus, qui cum etiam ipso iamdiu societatem amicorum contraxi literis vltro citroq; obsignatis. Vale Lupsete mi dilectißime, & LINACRVM Britannici nominis columē (quod quidem ad literas bonas attinet) non magis iam vestrum (vt spero) quam nostrū, verbis meis saluta vel coràm vel epistola internuncia, idque primo quoque tempore. is enim vnus est paucorum, quibus me perlubens approbarim si poßim, cum & ipse coràm*

hic

hic agens mihi se summe, Ioannique Ruellio amico meo, studiorumque conscio probauerit, & eius excellentem doctrinam, exactamque diligentiam in primis suspiciam, æmularique contendam. Velim etiam vt Moro *salutem vnam & alteram mandato meo, vel mittas vt dixi, vel dicas. quem virum in Mineruæ sacratius album iamdiu opinione mea, sermoneque meo relatum, de Vtopia noui orbis insula summe & amo, & veneror. Eius enim historiam ætas nostra, posteræque ætates habebunt velut elegantium vtiliumque institutorum seminarium, vnde translatitios mores in suam quisque ciuitatem importent & accommodent. Vale, Parisiis pridie Cal. August.*

HIERONYMVS BVSLIDIUS Thomæ Moro S. D.

NON sat fuit ornatissime More, olim omnem curam, operam, studium intulisse in rem & commodum singulorum, nisi vel ea (quæ tua pietas & liberalitas est) conferres in vniuersum, ratus hoc (tuum qualecunque foret)

ret),

ret) beneficium, eo maiorem hinc mereri fauorem, venari gratiam, aucupari gloriam, quanto illud & latius propagatum, & in plures distributum, pluribus esset profuturum. Quod & si aliâs semper præstare contenderis, tamen id maxime es nuper mira felicitate adsecutus, scilicet pomeridiano illo sermone abs te in literas relato. Quem de recte & bene constituta (ab omnibus expetenda) Vtopiensium Rep. ædidisti. In cuius pulcherrimi instituti felici descriptione nihil est, in quo vel summa eruditio, vel absoluta rerum humanarum peritia desiderari possit. Quando ea quidem ambo in illo tanta paritate & æquabili congressu concurrunt, vt neutro alteri herbam porrigente, vtrunque æquo Marte de gloria contendat. Tam siquidem multifaria polles doctrina, rursum tam multa, eaque certa rerum peritia, vt prorsus expertus affirmes quicquid scripseris, doctissime scribas, quicquid affirmandũ destinaueris. Mira profecto, raraque felicitas, ac planè eo rarior, quo magis ipsa sese inuidens

rimis,non præbet nisi raris. Maxime iis, qui sicut candore velint, ita eruditione sciant, fide queant, autoritate possint tam pie, recte, prouide in commune consulere, sicut tu iam facis probe, qui quod non solum tibi, verum etiam toti te gentium orbi existimas, operæ precium duxeris hoc tuo pulcherrimo merito, vel totum ipsum orbem demereri, quod præstare alia ratione neq; rectius neq; melius potuisses, quàm ipsis mortalibus ratione pollentibus, eam Reip. ideam, eam morum formulam, absolutissimumque simulacrum præscribere, quo nullo vnquam in orbe visum sit vel salubrius institutum, vel magis absolutum, vel quod magis expetendum videatur, vtpote multo quidem præstante atque longo post se interuallo relinquente, tot celebratissimas, tantopere decantatas Lacedæmoniorum, Atheniensium, Romanorũ respublicas. Quæ si iisdem essent auspiciis auspicatæ, iisdem (quibus hæc tua Resp.) institutis, legibus, decretis, moribus moderatæ, profecto hæ nondum labefactatæ &

solo

ſolo æquatæ, iam proh dolor citra ſpem omnem inſtaurationis extinctæ iacerent. Sed contra, incolumes adhuc, beatæ, felices, fortunatiſſime agerent. Interim rerum dominæ, ſuum late imperium terra marique ſortitæ. Quarum quidem rerum publicarum, tu miſerandam miſeratus ſortem, ne aliæ itidem (quæ hodie rerum potitæ ſummum tenent) parem ſuſtinerent vicem, proſpicere voluiſti, ſcilicet hac tua abſolutiſſima republica, quæ non tam in condendis legibus, quàm vel pro beatiſſimis magiſtratibus formandis maxime elaborauit. Nec id quidem ab re, quando alioqui ſine illis omnes (vel optimæ) leges, ſi Platoni credimus, mortuæ cenſerentur. præſertim ad quorum magiſtratuum ſimulacrum, probitatis ſpecimen, exemplar morum, iuſtitiæ imaginem, totus ſtatus, & rectus tenor cuiuſuis abſolutæ Reip. ſit effingendus. In quo in primis concurrant, prudentia in optimatibus, fortitudo in militibus, tẽperantia in ſingulis, iuſtitia in omnibus. Quibus quum tua (quam tantopere ce-

lebras) respublica sit tam pulcherrime, vt liquet, composita, non mirum si hinc veniat, non solum multis timenda, sed & cunctis gentibus veneranda, simul omnibus seculis prædicanda. Idque eo magis, quod in ea omnis ꝓprietatis cõtentione sublata, nulli sit quippiam proprii. Cæterum in rem ipsam communem, communia sunt omnibus omnia. Adeo vt omnis res, quæuis actio seu publica, seu priuata, non ad multorum cupiditatem, non ad paucorum libidinem spectet, sed ad vnam iustitiam, æquabilitatem, communionem sustinendam (quantulacunque sit) tota referatur. Quo illa integre relata, omnis materies, fax & fomes, ambitus, luxus, inuidentiæ, iniuriæ facessat, necesse est. In quę nonnunquam aut priuata rerum possessio, aut ardens habendi sitis, omniumque miserrima rerum ambitio, mortales (vel reluctantes) protrudit, maximo suo, idque incomparabili, malo. Quando hinc sæpenumero dissensiones animorum, motus armorum, & bella plusquam ciuilia derepente ori-

antur. Quibus non ſolum florentiſſimus ſtatus beatiſſimarum Rerumpub. funditus peſſundatur, verum illarum olim parta gloria, acti triumphi, clara trophæa, totieſque opima ſpolia, deuictis hoſtibus relata, penitus obliterantur. Quod ſi in his hæc noſtra pagina minorem forte, ac velim, fidem fecerit, certe in promptu aderunt teſtes, ad quos te relegem, locupletiſſimi, videlicet tot & tantæ olim vaſtatæ vrbes, dirutæ ciuitates, proſtratæ Reſp. incenſi & conſumpti vici, quorum vti hodie vix vllæ tantæ calamitatis reliquiæ, aut veſtigia viſuntur, ita nec nomina illorum vlla, quantumuis vetus & longe deducta hiſtoria, ſat probe tenet. Quas quidem inſigneis clades, vaſtationes, euerſiones, ceteraſque belli calamitates, noſtræ (ſi quæ ſint) Reſp. facile euaſerint, modo ad vnam Vtopienſium reipublicæ normam ſeſe ad amuſſim componẽtes, ab ea ne tranſuerſum quidem, vt aiunt, vnguem recedant. Quod ſic demum præſtantes, tandem re ipſa cumulatiſſime agnoſcent, quantum hoc tu-

um in ſe collatum beneficium profuerit, maxime quo accedente didicerint, ſuam Remp. ſaluam, incolumem, triumphantem ſeruare. Proinde tantum tibi ſuo præſentiſſimo ſeruatori debituræ, quantum is haud iniuria promeretur, qui non tantum aliquem è republica ciuem, ſed vel ipſam totam Rempub. ſeruarit. Interea vale, ac feliciter perge, nonnihil vſque meditari, agere, elaborare, quod in Rempub. collatum, illi perpetuitatem, tibi immortalitatem addat. Vale doctiſſime, & idem humaniſſime More, tuæ Britanniæ, ac noſtri huius orbis decus. Ex ædibus noſtris Mechliniæ. Anno M. D. XVI.

CLARISSIMO D. HIEronymo Buſlidio Præpoſito Arienſi, Catholici regis Caroli à conſiliis, Petrus Ægidius Antuerpienſis S. D.

SVPERIORIBVS *hiſce diebus ornatiſſime Buslidi, miſit ad me* THOMAS *ille* MORVS, *te quoque teſte, cui notiſſimus eſt,* *exi-*

eximium huius ætatis nostræ decus, Vtopiam insulam, paucis adhuc mortalibus cognitam, sed dignam in primis, quàm vt plusquam Platonicam omneis velint cognoscere, præsertim ab homine facundißimo sic expressam, sic depictam, sic oculis subiectã, vt quoties lego, aliquanto plus mihi videre videar, quam cum ipsum Raphaëlem Hythlodæum (nam ei sermoni æque interfui ac MORVS *ipse) sua verba sonantem audirem. Etiamsi vir ille haud vulgari præditus eloquentia, sic rem exponeret, vt facile appareret eum non ea referre, quæ narrantibus aliis didicisset, sed quæ cominus hausisset oculis, & in quibus non exiguum tempus esset versatus, homo mea quidem sententia, regionum, hominum, & rerum experientia vel ipso Vlysse superior, & qualem octingentis hisce annis nusquam arbitrer natum, ad quem collatus Vespucius nihil vidisse putetur. Iam præterquam quod visa quam audita narramus efficacius. aderat homini peculiaris quædam ad explicandas res dexteritas. At tamen eadem hæc quoties* MORI *penicillo depicta contemplor, sic afficior, vt mihi videar nonnunquam in ipsa versari Vtopia. Et hercule*

crediderim Raphaëlem ipsum minus in ea insula vidisse per omne quinquennium quod illic egit, quam in MORI descriptione videri liceat. Tantum hic occurrit vndique miraculorum, vt ambigam quid primum aut potissimum admirer, felicissimæ memoriæ fidem, quæ tot res auditas duntaxat penè ad verbum reddere potuerit. an prudẽtiam, qua vulgo ignotissimos fontes, vnde omnia reip. vel oriuntur mala, vel oriri possent bona, sic animaduertit an orationis vim ac facultatẽ qua tanta sermonis latini puritate, tantis dicendi neruis, tot res cõplexus est, præsertim vnus in tot publica simul & domestica negotia distractus. Verum hæc omnia tu minus admiraris doctissime Buslidi, qui familiari etiam consuetudine penitus habes cognitum, hominem maius ac propè diuinum hominis ingenium. In cæteris igitur nihil est, quod illius scriptis queam adiicere. Tantum tetrastichum vernacula Vtopiensium lingua scriptũ, quod à MORI discessu, forte mihi ostendit Hythlodæus apponendum curaui, præfixo eiusdẽ gentis alphabeto, tum adiectis ad margines aliquot annotatiunculis. Nam quod de insulæ situ laborat MORVS, ne id quidem

omni-

omnino tacuit Raphaël, quanquam paucis admodum, ac velut obiter attigit, velut hoc alii seruans loco. Atque id sane nescio quo modo casus quidam malus vtrique nostrum inuidit. siquidem cum ea loqueretur Raphaël, adierat MORVM *è famulis quispiam, qui illi nescio quid diceret in aurem, ac mihi quidem tanto attentius auscultanti, comitum quispiam, clarius, ob frigus opinor nauigatione collectum, tussiens, dicentis voces aliquot intercepit. Verum non conquiescam donec hanc quoque partem ad plenum cognouero, adeo vt non solum situm insulæ, sed ipsam etiam poli sublationem sim tibi ad vnguem redditurus, si modo incolumis est noster Hythlodæus. Nam varius de homine rumor adfertur, alii affirmant perisse in itinere. rursum alii reuersum in patriam, sed partim suorum mores non ferentem, partim Vtopiæ desiderio sollicitatum, eò remigrasse. Nam quod huius insulæ nomen nusquam apud Cosmographos reperiatur, pulchre dissoluit Hythlodæus ipse. Siquidem fieri potuit, inquit, vt nomen quo veteres sint vsi, postea sit commutatum. aut etiam illos hæc fugerit insula, quando & hodie complures oriuntur*

tetræ, priscis illis Geographis intactæ. Quamquam quorsum attinet hic argumentis astruere fidem, cum MORVS ille sit autor? Cæterum quod is ambigit de æditione, equidem laudo & agnosco viri modestiã. At mihi visum est opus modis omnib. indignum quod diu premeretur, & cum primis dignum, quod exeat in manus hominum, idque tuo potissimum nomine commendatum orbi. vel quod MORI dotes tibi præcipue sint perspectæ, vel quod nemo magis idoneus, qui rectis consiliis iuuet rempublicam, in qua iam annis compluribus summa cum laude versaris, tum prudentiæ, tum integritatis. Bene vale studiorum Mecœnas & huius seculi decus. Antuerpiæ. An. M.D. XVI. Cal. Nouemb.

GERARDVS NOVIOMAgus de Vtopia.

Dulcia lector amas? sunt hic dulcissima quæque,
Vtile si quæris, nil legis vtilius.
Siue vtrunque voles, vtroque hæc insula abundat,
Quo linguam ornes, quo doceas animum.
Hic fontes aperit, recti prauique disertus
Morus, Londini gloria prima sui.

COR-

CORNELIVS GRAphæus ad lectorem.

Vis noua monstra, nouo dudum nunc orbe reperto?
Viuendi varia vis ratione modos?
Vis qui virtutum fontes? vis vnde malorum Principia? & quantum rebus inane latet?
Hæc lege, quæ vario Morus dedit ille colore,
Morus Londinæ nobilitatis honos.

SERMONIS QVEM RAPHAEL HYTHLODÆVS VIR EXImius, de optimo reipublicæ ſtatu habuit, liber primus, per illuſtrem virum Thomam Morum inclytæ Britanniarum vrbis Londini & ciuem, & vicecomitem.

Io. Clemens. Hythlodæus.
Tho. Morus. Pet. Ægid.

QVVM non exigui momenti negocia quædam inuictiſſimus Angliæ rex HENRICVS eius nominis octauus, omnibus egregii principis artibus ornatiſſimus, cum sereniſſimo Caſtellę principe CAROLO controuerſa nuper habuiſſet, ad ea tractanda, componendaq́; orato-

oratorem me legauit in Flandriam, comitem & collegam viri incomparabilis Cuthberti Tunstalli, quem sacris scriniis nuper ingenti omniũ gratulatione præfecit, de cuius sanè laudibus nihil à me dicetur, non quod verear ne parum sinceræ fidei testis habenda sit amicitia, sed quod virtus eius, ac doctrina maior est, quàm vt à me prædicari possit, tum notior vbique, atq; illustrior, quàm vt debeat, nisi videri velim solem lucerna, quod aiunt, ostendere. Occurrerunt nobis Brugis (sic enim cõuenerat) hi quibus à principe negocium demandabatur, egregii viri omnes, in his præfectus Brugensis vir magnificus, princeps & caput erat, cæterum os & pectus Georgius Temsicius Cassiletanus Præpositus, non arte solum, verum etiam natura fa-

Cuthbertus Tunstallus.

Paroemia

cundus, adhæc iureconſultiſsimus, tractandi vero negocii cum ingenio, tum aſſiduo rerum vſu eximius artifex. vbi ſemel atque iterum congreſſi, quibuſdam de rebus non ſatis conſentiremus, illi, in aliquot dies vale nobis dicto, Bruxellas profecti ſunt, principis oraculum ſciſcitaturi. Ego me interim (ſic enim res ferebat) Antuerpiam confero. Ibi dum verſor, ſæpe me inter alios, ſed quo non alius gratior, inuiſit Petrus Ægidius Antuerpiæ natus, magna fide, & loco apud ſuos honeſto, dignus honeſtiſſimo, quippe iuuenis haud ſcio doctior ne, an moratior, eſt enim & optimus & literatiſſimus, ad hæc animo in omnes candido, in amicos vero tam propenſo pectore, amore, fide, adfectu tam ſyncero, vt vix vnum aut alterum vſquam inueni-

Petrus Ægidius.

as, quem

as, quem illi ſentias omnibus amicitiæ numeris eſſe conferendum. Rara illi modeſtia, nemini longius abeſt fucus, nulli ſimplicitas ineſt prudentior. Porro ſermone tam lepidus, & tam innoxie facetus, vt patriæ deſiderium, ac laris domeſtici, vxoris, & liberorum, quorum ſtudio reuiſendorum nimis quam anxie tenebar (iam tum enim plus quatuor menſibus abfueram domo) magna ex parte mihi dulciſſima cõſuetudine ſua, & mellitiſſima cõfabulatione leuauerit. Hunc quũ die quadam in templo diuæ Mariæ, quod & opere pulcherrimũ, & populo celeberrimum eſt, rei diuinæ interfuiſſem, atque peracto ſacro, pararem inde in hoſpitium redire, forte colloquentem video, cum hoſpite quodam, vergentis ad ſenium ætatis, vultu adu-

adusto, promissa barba, penula neglectim ab humero dependẽte, qui mihi ex vultu atque habitu nauclerus esse videbatur. At Petrus vbi me conspexit, adit ac salutat, respondere conantem seducit paululum, & vides inquit hunc? (simul designabat eum cũ quo loquentem videram) eum inquit, iam hinc ad te recta parabam ducere. Venisset, inquam, pergratus mihi tua causa. Imò inquit ille, si nosses hominem, sua. Nam nemo viuit hodie mortalium omnium, qui tantam tibi hominum, terrarumque incognitarum narrare possit historiã, quarum rerum audiendarum scio auidissimum esse te. Ergo, inquã, non pessime coniectaui. Nam primo aspectu protinus sensi hominem esse nauclerum. Atqui, inquit, aberrasti longissime, na-

uigauit quidem non vt Palinurus, ſed vt Vlyſſes: imò velut Plato. Nempe Raphaël iſte, ſic enim vocatur gentilicio nomine Hythlodæus, & latinæ linguæ non indoctus, & græcæ doctiſſimus (cuius ideo ſtudioſior quàm Romanæ fuit, quoniam totum ſe addixerat philoſophiæ: qua in re nihil quod alicuius momenti ſit, præter Senecæ quædam ac Ciceronis extare latine cognouit) relicto fratribus patrimonio, quod ei domi fuerat (eſt enim Luſitanus) orbis terrarum contemplădi ſtudio, Americo Veſpucio ſe adiunxit, atque in tribus poſterioribus illarum quatuor nauigationum, quæ paſſim iam leguntur, perpetuus eius comes fuit, niſi quod in vltima cum eo non rediit. Curauit enim atque adeo extorſit ab Americo, vt ipſe in his

XXIIII. esset, qui ad fines postremæ nauigationis in Castello relinquebantur. Itaque relictus est, vti obtemperaretur animo eius, peregrinationis magis quàm sepulchri curioso, quippe cui hæc assidue sunt in ore, Cœlo tegitur qui non habet vrnam, & Vndiq; ad superos tantundem esse viæ. *Apophthegma* Quæ mens eius, nisi deus ei propitius adfuisset, nimio fuerat illi constatura. Cæterum postquam digresso Vespucio multas regiones cum quinque Castellanorum comitibus emensus est, mirabili tandem fortuna Taprobanen delatus, inde peruenit in Caliquit, vbi repertis commode Lusitanorum nauibus, in patriam denique præter spem reuehitur. Hæc vbi narrauit Petrus, actis ei gratiis, quod tam officiosus in me fuisset, vt cuius viri colloquium mihi gratum

gratum ſperaret, eius vti ſermone frueretur, tantam rationem habuiſſet, ad Raphaëlem me conuerto, tum vbi nos mutuo ſalutaſſemus, atque illa communia dixiſſemus, quæ dici in primo hoſpitum congreſſu ſolent, inde domum meam digredimur, ibique in horto conſidentes in ſcamno ceſpitibus herbeis conſtrato, cõfabulamur. Narrauit ergo nobis, quo pacto poſteaquam Veſpucius abierat, ipſe ſociique eius, qui in Caſtello remanſerant, conueniendo atque blandiendo cœperint ſe paulatim eius terræ gentibus inſinuare, iamque non innoxie modo apud eas, ſed etiam familiariter verſari, tum principi cuidam (cuius & patria mihi, & nomen excidit) grati, chariqꝫ eſſe, eius liberalitate narrabat cõmeatum atque viaticum ipſi & quinq;

quinq; eius comitibus affatim fuisse ſuppeditatum, cum itineris (quod per aquam ratibus, per terram curru peragebant) fideliſſimo duce, qui eos ad alios principes quos diligenter commendari petebant, adduceret. Nam poſt multorum itinera dierum, oppida atq; vrbes aiebat reperiſſe ſe, ac non peſsime inſtitutas, magna populorum frequentia, reſpublicas. Nempe ſub æquatoris linea tum hinc atq; inde ab vtroque latere, quantum ferè ſpatii ſolis orbita complectitur, vaſtas obiacere ſolitudines perpetuo feruore torridas. Squalor vndique & triſtis rerum facies horrida atq; inculta omnia feris habitata ſerpētibuſq;, aut deniq; hominibus neque minus efferis quàm ſint beluæ, neque minus noxiis. Cæterum vbi longius euectus ſis, paulatim

latim omnia mansuescere, cœlum minus asperum, solum virore blandum, mitiora animantium ingenia, tandem aperiri populos, vrbes, oppida, in his assidua non inter se modo, ac finitimos, sed procul etiam dissitas gentes, terra mariq; commercia. Inde sibi natam facultatem, multas vltro citroq; terras inuisendi, quod nulla nauis ad iter quodlibet instruebatur, in quam non ille, comitesq; eius libentissime admittebantur. Naues quas primis regionibus conspexerunt, carina plana fuisse narrabat. vela consutis papyris aut viminibus intendebantur, alibi coriacea. post vero acuminatas carinas canabea vela repererunt. omnia denique nostris similia. nautæ maris ac cœli non imperiti. Sed miram se narrabat inisse gratiam, tradito

magne-

magnetis vſu, cuius antea penitus erant ignari. ideoque timide pelago conſueuiſſe ſeſe, neque aliàs temere, quàm æſtate credere. Nunc vero eius fiducia lapidis contemnunt hyemē, ſecuri magis, quàm tuti, vt periculum ſit, ne quæ res magno eis bono futura putabatur, eadem per imprudentiam magnorum cauſa malorum fiat. Quid quoque in loco ſe vidiſſe narrauit, & longum fuerit explicare, neque huius eſt operis inſtitutum, & alio fortaſſe loco dicetur à nobis, præſertim quicquid ex vſu fuerit non ignorari, qualia ſunt in primis ea, quę apud populos vſquam ciuiliter conuiuentes animaduertit, recte prudenterque prouiſa. His enim de rebus & nos auidiſſime rogabamus, & ille libentiſſime diſſerebat, omiſſa interim inquiſitione

mon-

monſtrorum, quib. nihil eſt minus nouum. Nam Scyllas & Celenos rapaces, & Leſtrigonas populiuoros, atque eiuſcemodi immania portenta, nuſquam ferè non inuenias, ac ſanè ac ſapienter inſtituto ciues haud reperias vbilibet. Cæterum vt multa apud nouos illos populos adnotauit perperam conſulta, ſic haud pauca recenſuit. vnde poſsint exempla ſumi corrigendis harum vrbium, nationum, gentium, ac regnorum erroribus, idonea, alio, vt dixi, loco à me commemoranda. Nunc ea tantum referre animus eſt, quæ de moribus atq; inſtitutis narrabat Vtopienſium, præmiſſo tamen eo ſermone, quo velut tractu quodam ad eius mẽtionem reipublicæ deuentum eſt. Nam quum Raphaël prudentiſſime recenſuiſſet, alia hic, alia

illic errata, vtrobiq; certe plurima, tum quæ apud nos, quæve item ſunt apud illos cauta ſapientius, quum vniuſcuiuſque populi mores atque inſtituta ſic teneret, tanquam in quemcunque locum diuertiſſet, totam ibi vitam vixiſſe videretur, admiratus hominem Petrus, Miror profecto mi Raphael, inquit, cur te regi cuipiam non adiungas, quorum neminem eſſe, ſatis ſcio, cui tu non ſis futurus vehementer gratus, vtpote quem hac doctrina, atque hac locorum hominumq; peritia non oblectare ſolum, ſed exemplis quoque inſtruere, atq; adiuuare conſilio ſis idoneus, ſimul hoc pacto & tuis rebus egregiæ conſulueris, & tuorum omnium commodis magno eſſe adiumento poſſis. Quod ad meos attinet, inquit ille, non valde commoueor,

moueor, nempe in quos mediocriter opinor me officii mei partes impleuiſſe. nam quibus rebus alii non niſi ſenes & ægri cedunt, imo tum quoque ægre cedunt, quum amplius retinere non poſſunt, eas res ego non ſanus modo ac vegetus, ſed iuuenis quoque cognatis, amicisque diſpartiui, quos debere puto hac mea eſſe benignitate contentos, neque id exigere atque expectare præterea, vt memet eorum cauſa regibus in ſeruitium dedam. Bona verba inquit Petrus, mihi viſum eſt non vt ſeruias regibus, ſed vt inſeruias. Hoc eſt, inquit ille, vna ſyllaba plus quam ſeruias. At ego ſic cenſeo, inquit Petrus, quoquo tu nomine rem appelles, eam tamen ipſam eſſe viam, qua non aliis modo & priuatim, & publice poſſis conducere, ſed tuam quoq;

ipsius conditionem reddere feliciorem. Feliciorem ne inquit Raphaël, ea via facerē, à qua abhorret animus? Atqui nunc sic viuo vt volo, quod ego certe suspicor paucissimis purpuratorum contingere. Quin satis est eorum, qui potentum amicitias ambiunt, ne magnam putes iacturam fieri, si me atque vno aut altero mei similibus sint carituri. Tum ego, perspicuum est inquam, te mi Raphaël, neque opum esse neq; potentiæ cupidum, atque ego profecto huius tuæ mentis hominem non minus veneror ac suspicio, quam eorum quemuis, qui maxime rerum sunt potentes. Cæterum videberis plane rem te atque isthoc animo tuo tam generoso, tam vere philosopho dignam facturus, si te ita compares, vt vel cum aliquo priuatim incōmodo inge-

ingenium tuum atq; induſtriam publicis rebus accõmodes, quod nunquã tanto cum fructu queas, quanto ſi à conſiliis fueris magno alicui principi, eiq; (ꝙ te facturum certe ſcio) recta atq; honeſta perſuaſeris. Nempe à principe bonorum malorumque omnium torrens in totum populum, velut à perenni quodam fonte promânat. In te vero tam abſoluta doctrina eſt, vt vel citra magnum rerum uſum, porro tanta rerum peritia vt ſine vlla doctrina, egregium conſiliarium cuiuis regum ſis præſtaturus. Bis erras, inquit ille, mi More, primum in me, deinde in re ipſa. nam neque mihi ea eſt facultas, quam tu tribuis, & ſi maximè eſſet, tamẽ quum ocio meo negocium faceſſerem, publicam rem nihil promoueam. Primum enim principes ipſi pleriq; omnes

militaribus ſtudiis (quorum ego neque peritiam habeo, neque deſidero) libentius occupantur, quã bonis pacis artibus, maiuſq; multo ſtudium eſt, quib. modis per fas ac nefas noua ſibi regna pariant, quam vti parta bene adminiſtrent. Præterea quicunque regibus à conſilio ſunt, eorum nemo eſt, qui non aut vere tantum ſapit, vt non egeat, aut tantum ſibi ſapere videtur, vt non libeat alterius probare conſilium, niſi quod abſurdiſſimis quibusq; dictis aſſentiuntur & ſupparaſitantur eorum, quos vt maxime apud principem gratiæ, ſtudent aſſentatione demereri ſibi. Et certe ſic eſt natura comparatum, vt ſua cuiq; inuenta blandiantur. Sic & coruo ſuus arridet pullus, & ſuus ſimiæ catulus placet. Quod ſi quis in illo cœtu vel alienis inui-

den-

dentium, vel præferentium ſua, aliquid afferat, quod aut aliis temporibus factum legit, aut aliis fieri locis vidit, ibi qui audiunt, perinde agunt, ac ſi tota ſapientiæ ſuæ periclitaretur opinio, & poſt illa pro ſtultis planè ſint habendi, niſi aliquid ſufficiant inuenire, quod in aliorum inuentis vertant vitio. Si cætera deſtituant, tum huc confugiunt, hæc noſtris inquiunt, placuere maioribus, quorum prudentiam vtinam nos æquaremus. itaque hoc dicto veluti egregie perorata re, conſidunt. Tanquam magnum ſit periculum, ſi quis vlla in re deprehendatur maioribus ſuis ſapientior. à quibus tamen vt quicque optime conſultum eſt, ita æquiſſimo animo valere ſinimus. at ſi qua de re potuit conſuli prudentius, eam protinus anſam cupide arreptam

mordicus retinemus. Itaque in hæc ſuperba, abſurda, ac moroſa iudicia, cum ſæpe alibi, tum ſemel in Anglia quoque incidi. Obſecro inquam fuiſti apud nos? Fui inquit, atque aliquot menſes ibi ſum verſatus, non multo poſt eam cladem, qua Anglorum occidentalium ciuile aduerſus regem bellum, miſeranda ipſorum ſtrage compreſſum eſt. Interea multum debui reuerendiſſimo patri Ioanni Mortono Cantuarienſi Archiepiſcopo & Cardinali, ac tum quoque Angliæ Cancellario, viro mi Petre (nam Moro cognita ſum narraturus) non autoritate magis, quam prudentia ac virtute venerabili. Etenim ſtatura ei mediocris erat, nec ætati quanquam ſeræ cedens. vultus quem reuereare, non horreas. in congreſſu non difficilis, ſerius tamen

men & grauis. libido erat asperius interdũ compellando supplicãtes experiri, sed sine noxa, quid ingenii, quam animi præsentiam quisq; prę se ferret, qua velut cognata sibi virtute, modo abesset impudentia, delectabatur, & vt idoneam ad res gerendas amplectebatur, Sermo politus & efficax, Iuris magna peritia, ingeniũ incomparabile, memoria ad prodigium vsque excellens. Hæc enim natura egregia, discẽdo atq; exercendo prouexit. Huius consiliis rex plurimũ fidere, multum resp. niti (cum ego aderam) videbatur. quippe qui ab prima ferè iuuenta protinus à schola coniectus in aulã maximis in negociis per omnẽ versatus ætatem, ac variis fortunę æstibus assidue iactatus, prudentiam rerum (quæ sic recepta non facile elabitur) multis magnisque

De legib. parum æquis.

cum periculis didicerat. Forte fortuna quũ die quodam in eius mensa essem, laicus quidam legum vestratium peritus aderat, is nescio vnde nactus occasionem, cœpit accurate laudare, rigidam illam iustitiã, quæ tum illic exercebatur in fures, quos passim narrabat nonnunquam suspendi viginti in vna cruce, atque eo vehementius dicebat se mirari, cum tam pauci elaberentur supplicio, quo malo fato fieret, vti tam multi tamen vbiq; grassarentur. Tum ego, ausus enim sum libere apud Cardinalem loqui, nihil mireris inquam: Nam hęc punitio furum & supra iustum est, & non ex vsu publico. Est enim ad vindicanda furta nimis atrox, nec tamen ad refrenanda sufficiens. Quippe neq; furtum simplex tam ingens facin⁹ est, vt capite debeat plecti,

neq;

neq; vlla pœna eſt tanta, vt ab latrociniis cohibeat eos, qui nullã aliam artem quærendi victus habent. Itaq; hac in re non vos modo, ſed bona pars huius orbis imitari videtur malos præceptores, qui diſcipulos verberant libentius, quàm docent. Decernuntur enim furanti grauia atq; horrenda ſupplicia, cùm potius multo fuerit prouidendum, vti aliquis eſſet prouentus vitæ, ne cuiquam tam dira ſit furandi primum, dehinc pereundi neceſſitas. Eſt, inquit ille, ſatis hoc prouiſum, ſunt artes mechanicæ, eſt agricolatio, ex his tueri vitam liceat, ni ſponte mali eſſe mallent. At non ſic euades inquam. Nam primum omittamus eos, qui ſæpe vel ab externis bellis, vel ciuilibus mutili redeunt domum, vt nuper apud vos è Cornubienſi prœlio, & non

Qua ratione fieri poſſit, ne tam multi ſint fures.

ita pridē è Gallico, qui vel Reip. impendunt mēbra, vel regi, quos neq; priſtinas artes exercere debilitas patitur, neque ætas nouam diſcere. hos inquam omittamus, quando bella per intermiſſas vices cōmeant, Ea contemplemur, quæ nullo die nō accidunt. Tantus eſt ergo nobilium numerus, qui non ipſi modo degant ocioſi tanquā fuci laborib. aliorū, quos puta ſuorum prædiorum colonos augendis reditibus ad viuum vſque radunt. Nam eam ſolam frugalitatem nouere, homines alioquin ad mendicitatem vſq; prodigi, verum immenſam quoq; ocioſorum ſtipatorum turbā circumferunt, qui nullam vnquam quærendi victus artem didicere. Hi ſimulatque herus obierit, aut ipſi ægrotauerint, eiiciuntur illico, nam & ocioſos libentius quā

ægro-

ægrotos alunt, & sæpe morientis hæres non protinus alendæ suffi-cit paternæ familiæ. interim illi e-suriũt strenue, nisi strenue latro-cinentur. Nam quid faciant? Si-quidem vbi errando paululum vestes ac valetudinem attriuere, morbo iam squalidos, atq; obsitos pannis, neq; generosi dignantur accipere, neq; audent rustici, non ignari eum, qui molliter educa-tus in ocio ac deliciis, solitus sit accinctus acinace ac cetra, totam viciniã vultu nebulonico despi-cere, & contemnere omnes præ se: haudquaquam idoneum fore, qui cum ligone ac marra, mali-gna mercede ac victu parco, fide-liter inseruiat pauperi. Ad hæc il-le, atqui nobis inquit, hoc homi-num genus in primis fouendum est. in his enim, vtpote hominib. animi magis excelsi ac genero-

ſioris, quàm ſunt opifices aut agricolę, conſiſtunt vires ac robur exercitus, ſi quando ſit confligẽdum bello. Profecto inquam ego, eadem opera dicas licet, belli gratia fouẽdos eſſe fures, quib. haud dubie nunquam carebitis, dum habebitis hos. Quin neque latrones ſunt inſtrenui milites, neque milites ignauiſſimi latronũ. adeo inter has artes belle conuenit. At hoc vitiũ tamen frequens eſt vobis, nõ proprium. eſt enim omniũ ferè gentium cõmune. Nam Gallias infeſtat alia præterea peſtis peſtilentior, Tota patria ſtipendiariis in pace quoque (ſi illa pax eſt) oppleta atq; obſeſſa militibus, eadem perſuaſione inductis, qua vos ocioſos hic miniſtros alendos eſſe cenſuiſtis. nempe quod Moroſophis viſum eſt, in eo ſitam eſſe publicam ſalutẽ, ſi in promptu

Quã perniciẽ adferãt perpetua militũ præſidia.

ptu

ptu ſemper adſit validum firmũque præſidium, maxime veteranorum. neque enim confidunt inexercitatis quicquam. vt vel ideo quærendum eis bellum ſit, ne imperitos habeant milites, & homines iugulandi gratis, ne (vt habet facete Saluſtius) manus aut animus incipiat per ocium torpeſcere. At quàm ſit pernicioſum huiuſmodi beluas alere, & Gallia ſuo malo didicit, & Romanorum, Carthaginenſium, ac Syrorum, tum multarum gentium exempla declarãt, quorum omniũ non imperium modo, ſed agros quoq; , atque adeo vrbes ipſas parati ipſorum exercitus aliis atque aliis occaſionib. euerterunt. Quã vero non magnopere neceſſarium, vel hinc eluceſcit, quod ne Galli quidem milites armis ab vnguiculis exercitatiſſimi cum

euocatis comparati veſtris, admodum ſæpe gloriantur ſuperiores ſeſe diſceſſiſſe, vt ne quid dicam amplius, ne præſentibus videar adblandiri vobis. Sed nec veſtri illi vel opifices vrbici, vel rudes atque agreſtes agricolæ, ocioſos generoſorum ſtipatores creduntur valde pertimeſcere, niſi aut hi quibus ad vires atque audaciam corpus contigit ineptius, aut quorum animi vis inopia rei familiaris infringitur, adeo periculum nullum eſt, ne quorum valida & robuſta corpora (neq; enim niſi ſelectos dignantur generoſi corrumpere) nunc vel elangueſcunt ocio, vel negociis propè muliebrib. emolliuntur, iidem bonis artibus inſtructi ad vitam, & virilibus exercitati laboribus effœminentur. Certe vtcunq; ſeſe hæc habet res, illud

mihi nequaquã videtur publicæ rei conducere in euentũ belli, ꝙ nunquam habetis, niſi quum vultis, infinitam eius generis turbam alere, quod infeſtat pacem, cuius tanto maior haberi ratio, quàm belli debeat. Neq; hæc tamen ſola eſt furandi neceſſitas, eſt alia magis, quantum credo, peculiaris vobis. Quænam eſt ea? inquit Cardinalis: Oues, inquam, veſtræ, quæ tam mites eſſe, tamque exiguo ſolent ali, nunc (vti fertur) tam edaces atque indomitæ eſſe cœperunt, vt homines deuorent ipſos, agros, domos, oppida vaſtent ac depopulẽtur. Nẽpe quibuſcunque regni partibus naſcitur lana tenuior, atque ideo precioſior, ibi nobiles & generoſi, atque adeo Abbates aliquot ſancti viri, non his contenti reditibus fructibuſq; annuis, qui maio-

maioribus ſuis ſolebāt ex prædiis creſcere, nec habentes ſatis, quod ocioſe ac laute viuentes, nihil in publicum proſint, niſi etiam obſint, aruo nihil relinquunt, omnia claudūt paſcuis, demoliuntur domos, diruūt oppida, templo duntaxat ſtabulandis ouibus relicto, & tanquam parum ſoli perderent apud vos, ferarum ſaltus ac viuaria, illi boni viri habitationes omnes, & quicquid vſquam eſt culti, vertunt in ſolitudinem. Ergo vt vnus helluo inexplebilis ac dira peſtis patriæ, continuatis agris, aliquot millia iugerum vno circundet ſepto, eiiciuntur coloni quidam, ſuis etiam aut circumſcripti fraude, aut vi oppreſſi exuuntur, aut fatigati iniuriis, adiguntur ad venditionem. Itaque quoquo pacto emigrant miſeri, viri, mulieres, mariti, vxores, orbi,

viduæ,

viduæ, parentes cum paruis liberis, & numerosa magis quam diuite familia, vt multis opus habet manibus res rustica: emigrant inquam, è notis atque assuetis laribus, nec inueniunt quo se recipiant, supellectilem omnem haud magno vendibilem, etiam si manere possit emptorem, quum extrudi necesse est, minimo venundant. id quum breui errando insumpserint, quid restat aliud deniq;, quam vti furentur, & pendeant iuste scilicet, aut vagentur atque mendicent. quanquam tum quoque velut errones coniiciuntur in carcerem, quod ociosi obambulent, quorum operam nemo est qui conducat, quum illi cupidissime offerant. Nam rusticæ rei cui assueuerunt, nihil est quod agatur, vbi nihil seritur. Siquidem vnus opilio atque bubul-

cus

cus sufficit ei terræ depascendæ pecoribus, in cuius cultum, vt sementi faciendæ sufficeret, multæ poscebantur manus. Atque hac ratione fit vt multis in locis annona multo sit carior. Quin lanarum quoque adeo increuit precium, vt à tenuioribus, qui pãnos inde solent apud vos conficere, prorsus emi non possint, atque ea ratione plures ab opere ablegantur in ocium. Nam post aucta pascua infinitam ouium vim absumpsit tabes, velut eorum cupiditatem vlciscente deo, immissa in oues lue, quam in ipsorum capita contortam esse fuerat iustius. Quod si maxime increscat ouium numerus, precio nihil decrescit tamen. quod earum, si monopolium appellari nõ potest quod non vnus vendit, certe oligopolium est. Reciderunt enim fere in

manus paucorum, eorundemq; diuitum, quos nulla neceſſitas vrget ante vendendi quam libet, nec ante libet quam liceat quanti libet. Iam cætera quoque pecorum genera, vt æque cara ſint, eadem ratio eſt, atque hoc etiam amplius, quod dirutis villis, atque imminuta re ruſtica, non ſint qui fœturam curent. Neq; enim diuites illi, vt ouium, ſic etiam armentorum fœtus educant: ſed aliunde macra empta vili, poſteaquam ſuis paſcuis pinguerint, magno reuendunt. Ideoque ſicuti reor, nondum ſentitur totum huius rei incommodum. Nempe adhuc his modo locis reddunt cara, vbi vendunt. cæterum vbi aliquandiu celerius extulerint illinc, quam naſci poſſint, tum demum ibi quoque paulatim decreſcente copia, vbi coëmuntur, neceſſe

neceſſe eſt hic inſigni laboretur
inopia. Ita quare vel maximè fe-
lix hæc veſtra videbatur inſula, iā
ipſam paucorum improba cupi-
ditas vertit in perniciem. Nam
hæc annonæ caritas in cauſa eſt,
cur quiſque quam poſſit pluri-
mos è familia dimittat, quo quæ-
ſo niſi mendicatū, aut quod ge-
neroſis animis perſuadeas facilius
latrocinatum? Quid quod ad mi-
ſeram hanc egeſtatem, atque ino-
piam adiungitur importuna lu-
xuries. Nam & miniſtris nobili-
um, & opificibus, & ipſis prope-
modum ruſticis, & omnibus de-
nique ordinibus, multum eſt in-
ſolentis apparatus in veſtibus, ni-
mius in victu luxus. Iam ganea, lu-
ſtra, lupanar, & aliud lupanar ta-
bernę vinariæ, ceruiſiariæ, poſtre-
mo tot improbi ludi, alea, charta,
fritillus, pila, ſphæra, diſcus, an
non

non hæc celeriter exhauſta pecunia recta ſuos myſtas mittunt aliquo latrocinatum? Has pernicioſas peſtes eiicite. ſtatuite, vt villas atque oppida ruſtica, aut hi reſtituant, qui diruere, aut ea cedant repoſituris, atque ædificare volentibus. Refrenate coëmptiones iſtas diuitum, ac velut monopolii exercendi licentiã. Pauciores alãtur ocio, reddatur agricolatio, lanificiũ inſtauretur, vt ſit honeſtũ negotiũ, quo ſe vtiliter exerceat ocioſa iſta turba, vel quos hactenus inopia fures fecit, vel ꝗ nũc errones, aut ocioſi ſunt miniſtri, fures nimirũ vtriq; futuri. Certe niſi his malis medemini, fruſtra iactetis exercitã in vindicãda furta iuſtitiã, nẽpe ſpecioſam magis, quam aut iuſtam aut vtilem. Siquidem quum peſſime ſinitis educari, & mores paulatim ab teneris

neris annis corrumpi puniendos videlicet, tum demum quum ea flagitia viri designent, quorum spem de se perpetuam à pueritia vsque præbuerant, quid aliud quæso quam facitis fures, & iidẽ plectitis? Iam me hæc loquente iuris ille consultus interim se ad dicendum composuerat, ac statuerat secum, modo illo solenni disputantium vti, qui diligentius repetunt quam respondent, adeo bonam partem laudis ponunt in memoria. Belle, inquit, dixisti profecto, quum sis videlicet hospes, qui magis audire his de rebus aliquid potueris, quam exacte quicquam cognoscere, id quod ego paucis efficiam perspicuum. Nam primum ordine recensebo quæ tu dixisti, deinde ostendam quibus in rebus imposuit tibi nostrarum rerum ignoratio.

ratio. postremo rationes tuas omnes diluam atque dissoluam. Igitur vt à primo quod sum pollicitus, exordiar, quatuor mihi visus es: Tace, inquit Cardinalis, nam haud responsurus paucis videris, qui sic incipias. Quamobrem leuabimus in præsenti te hac respondendi molestia, seruaturi tamen integrum id munus tibi in proximũ congressum vestrum, quem (nisi quid impediat, aut te, aut Raphaëlem hunc) crastinus dies velim referat. Sed interim abs te mi Raphaël, per quã libenter audierim, quare tu furtum putes vltimo supplicio non puniendum, quamve aliam pœnam ipse statuas, quæ magis conducat in publicum. nam tolerandum ne tu quidem sentis. At si nunc per mortem quoque, tamẽ in furtum ruitur, proposita semel

Expressit morem ei Cardinali familiarẽ interpellãdi si quis loquacius ageret.

vitæ

vitæ ſecuritate, quæ vis, quis metus poſſet abſterrere maleficos: qui mitigatione ſupplicii, velut præmio quodam ad maleficium ſe inuitatos interpretarentur? Omnino mihi videtur inquam pater benigniſſime, homini vitam eripi propter ereptam pecuniam, prorſus iniquum eſſe. Siquidem cum humana vita ne omnibus quidem fortunæ poſſeſſionibus paria fieri poſſe arbitror. Quod ſi læſam iuſtitiam, ſi leges violatas, hac rependi pœna dicant, haud pecuniam: quid ni merito ſummum illud ius, ſumma vocetur iniuria? Nam neque legum probanda ſunt tam Manliana impe- ria, vt ſicubi in leuiſſimis parum obtemperetur, illico ſtringant gladium: neque tam Stoica ſcita, vt omnia peccata adeo exiſtimẽt paria, vti nihil iudicent intereſſe,

Manliana imperia ex Liuio.

occi-

occidatne aliquis hominem, an nummum ei ſurripiat, inter quæ (ſi quicquam æquitas valet) nihil omnino ſimile aut affine. Deus vetuit occidi quenquam, & nos tam facile occidimus ob ademptam pecuniolam? Quod ſi quis interpretetur, illo Dei iuſſu interdictam necis poteſtatem, niſi quatenus humana lex declaret occidendum, quid obſtat quo minus homines eodem modo conſtituant inter ſe, quatenus ſtuprum admittendum ſit, adulterandum, peierandum? Siquidē quum Deus non alienæ modo, verumetiam ſuæ cuique mortis ius ademerit, ſi hominum inter ſe cōſenſus, de mutua cæde certis placitis cōſentientium, adeo debet valere, vt illiꝰ præcepti vinculis eximat ſuos ſatellites, qui ſine vllo exemplo Dei eos intereme-

rint, quos humana ſanctio iuſſit occidi: an non hoc pacto præceptum illud Dei tantum iuris eſt habiturum, quãtum humana iura permiſerint? ac fiet nimirum, vt ad eundem modum omnib. in rebus ſtatuant homines, quaten⁹ diuina mandata cõueniat obſeruari. Deniq; lex Moſaica, quanquam inclemens & aſpera: nempe in ſeruos, & quidem obſtinatos lata, tamen pecunia furtum haud morte mulctauit. Ne putemus Deum in noua lege clementiæ: qua pater imperat filiis maiorem indulſiſſe nobis inuicem ſæuiendi licentiam. Hæc ſunt cur non licere putem. Quàm vero ſit abſurdum, atq; etiã perniciosum reipub. furem, atque homicidam ex æquo puniri, nemo eſt, opinor, qui neſciat. Nempe quum latro conſpiciat non minus imminere

discriminis dũtaxat furti damnato, quàm si præterea conuincatur homicidii, hac vna cogitatione impellitur in cædem eius, quẽ alioqui fuerat tantum spoliaturus, quippe præterquam quod deprehenso nihil sit plus periculi, est etiam in cæde securitas maior, & maior cælandi spes sublato facinoris indice. Itaq; dum fures nimis atrociter studemus perterrefacere, in bonorum incitamus perniciem. Iam quod queri solet: quæ punitio possit esse commodior: hoc meo iudicio haud paulo facilius est repertu: quàm quæ possit esse deterior. Cur enim dubitemus eam viam vtilem esse castigandis sceleribus, quam scimus olim tam diu placuisse Romanis, administrandæ Reipublicæ peritissimis? Nempe hi magnorum facinorum conuictos in lapidi-

cinas, atque fodienda metalla damnabant, perpetuis adſeruandos vinculis. Quanquam ego quod ad hanc rem attinet, nullius inſtitutum gentis magis probo, quàm id quod interea dum peregrinabar, in Perſide obſeruatum apud vulgo dictos Polyleritas, adnotaui, populum neque exiguum, neque imprudenter inſtitutum, & niſi quod tributum quotannis Perſarum pendit regi: cætera liberum ac ſuis permiſſum legibus. Cæterum quoniam longe ab mari, montibus ferè circumdati, & ſuæ terræ nulla in re maligne cõtenti fructibus, neque adeunt alios ſæpe, neq; adeuntur. tamen ex vetuſto more gentis, neque fines prorogare ſtudent, & quos habẽt ab omni facile iniuria & mõtes tuentur, & penſio quam rerum potienti perſoluunt, immunes

Reſpublica Polyleritarum apud Perſas.

nes prorsus ab militia, haud perinde splendide, atq; cõmode, felicesq; magis quã nobiles, aut clari, degũt. quippe ne nomine quidem opinor, præterquam cõterminis admodum satis noti. Ergo apud hos furti qui peraguntur, quod sustulere domino reddunt, non quod alibi fieri solet, principi: vtpote cui tantum iuris esse censent in rem furtiuam quantũ ipsi furi: Sin res perierit, precio ex bonis furum confecto ac persoluto, tum reliquo vxoribus eorum atq; liberis integro, ipsi damnantur in opera, ac nisi atrociter cõmissum furtum est, neq; clauduntur ergastulo, neq; gestant compedes, sed liberi, ac soluti in publicis occupantur operibus. detrectantes ac languidius gerentes sese, non tam vinculis cohercent quàm excitant verberibus,

Annotãdum nobis qui secus facimus.

ſtrenuam nauantes operam ab-ſunt à contumeliis, noctu tantum nominatim cenſiti cubiculis includuntur. præter aſſiduum laborem nihil incommodi eſt in vita. Aluntur enim haud duriter qui publicæ rei ſeruiũt, è publico. alibi aliter. Siquidem alicubi quod impenditur in eos ex eleemoſyna colligitur, atq; ea via quamquã incerta: tamen vt eſt ille populus miſericors, nulla reperitur vberior. alibi reditus quidam publici ad id deſtinantur. Eſt vbi certum in eos vſus tributum viritim conferunt. Quin aliquot in locis nullum publicum opus faciunt, ſed vt priuatus quiſq; eget mercenariis, ita illorum cuiuſpiam in eum diem operam, ſtata mercede cõducit apud forum, paulo minoris quàm quanti liberam fuerat conducturus: præterea fas eſt ſeruilẽ

igna-

ignauiã flagris corripere. Sic fit, vti nunquam opere careant: & præter victum aliquid quoq; die ab singulis publico inferatur ærario. Vno quodam colore vestiuntur & omnes & soli, capillo nõ abraso verum paulo supra auriculas attonso, è quarum altera paululum præscinditur. Cibum cuiq; ab amicis dari, potumq́; ac sui coloris vestem, licet, pecuniam datam esse danti pariter atq; accipienti capitale, neque minus periculosum etiam homini libero quacunque de causa nummũ à damnato recepisse, & seruos item (sic enim damnatos vocant) arma contingere. Suos quæque regio propria distinguit nota, quam abiecisse capitale est, vt vel extra suos conspici fines, vel cum alterius regionis seruo quicquam esse collocutum. At neque

At idem hodie famuli nobiliũ pulchrum sibi ducunt.

tutior fugæ meditatio quàm ipsa est fuga. Quin conscium talis fuisse consilii in seruo nex est: in libero seruitus. Contra indici præmia decreta sunt, libero pecunia, seruo libertas, vtrique vero venia atque impunitas conscientiæ, ne quando persequi malum consilium quā pœnitere sit tutius. Huius rei hæc lex atque hic ordo est, quem dixi, qui quantum habeat humanitatis & commodi, facile patet. quando sic irascitur, vt vitia perimat seruatis hominibus, atq; ita tractatis, vt bonos esse necesse sit. & quantum ante damni dederunt, tantum reliqua vita resarciant. Porrò ne ad pristinos relabātur mores, adeo nullus est metus, vt viatores quoque quibus iter aliquò institutum est, non aliis viæ ducibus sese tutioreis arbitrentur, quàm seruis illis ad

quam-

quamq; regionem ſubinde com-
mutatis. Nempe ad perpetran-
dum latrocinium nihil habent
vſquàm non importunum: ma-
nus inermes: pecunia tãtum ſce-
leris index: deprehenſo parata
vindicta, neque ſpes vlla prorſus
fugiendi quoquam. Quo enim
pacto falleret ac tegeret fugam:
homo nulla veſtium parte popu-
lo ſimilis: niſi abeat nudus? quin
ſic quoque fugientem proderet
auricula. At ne inito ſaltem con-
ſilio coniurent in rempub. id de-
mum ſcilicet periculum eſt. quaſi
in tantam venire ſpem vlla poſſit
vicinia non tentatis ac ſolicitatis
ante multarum regionũ ſeruitiis,
q̃ tantũ abſunt à facultate conſpi-
randi, vt ne conuenire quidem, &
colloq; aut ſalutare ſe mutuo lice-
at: vt credãtur interim id conſili-
um intrepide credituri ſuis: quod

reticentibus periculoſum, prodẽtibus maximo eſſe bono ſciant. Quum contra nemo ſit prorſus exſpes, obediendo ac perferẽdo, bonamq; de ſe præbendo ſpem, emendatioris in poſterum vitæ, poſſe his modis fieri, vt libertatẽ aliquãdo recuperet. quippe nullo non anno reſtitutis aliquot cõmendatione patientiæ. Hæc quũ dixiſſem, atque adieciſſem, nihil mihi videri cauſæ, quare non hic modus haberi vel in Anglia poſſit, multo maiore cum fructu, quã illa iuſtitia, quam iuris ille peritus tantopere laudauerat. Sub hæc ille, nempe iureconſultus, Nunquam, inquit, iſtud ſic ſtabiliri queat in Anglia, vt non in ſummum diſcrimen adducat rempublicam, & ſimul hęc dicens, commouit caput, ac diſtorſit labrum, atque ita conticuit. Et omnes

qui

qui aderant, pedibus in eius ibant ſententiam. Tum Cardinalis, non eſt, inquit, procliue diuinare, commode ne an ſecus res ceſſura ſit, nullo prorſus facto periculo. Verum ſi pronunciata mortis ſententia, differri executionem iubeat princeps, atque hunc experiatur morem, cohibitis aſylorum priuilegiis, tum vero ſi res comprobetur euentu eſſe vtilis, rectum fuerit eam ſtabiliri, alioqui tunc quoq; afficere ſupplicio eos, qui ſunt ante damnati, neq; minus è repub. fuerit, neq; magis iniuſtum, quàm ſi nunc idem fieret, nec vllum interea naſci ex ea re poteſt periculum. Quin mihi certe videntur errones quoq; ad eundem poſſe modum non peſſime tractari, in quos hactenus tam multis æditis legibus, nihil promouimus tamen. Hæc vbi

dixit Cardinalis, quæ me narrante contempſerant omnes, eadem nemo non certatim laudibus eſt proſequutus, maxime tamen illud de erronibus, quoniam hoc ab ipſo adiectum eſt. Neſcio an quæ ſunt ſecuta, ſilere præſtiterit. erant enim ridicula: ſed narrabo tamen: nam non erant mala, & aliquid ad hanc rem pertinebant. Adſtabat forte paraſitus quidam, qui videri volebat imitari morionem, ſed ita ſimulabat, vt propior vero eſſet, tam frigidis dictis captans riſum, vt ipſe ſæpius, quam dicta ſua rideretur. Excidebant homini tamen interdum quædam, adeo non abſurda, vt fidem adagio facerent, crebro iactu iaci aliquando Venerem. Is ergo dicente quodam è conuiuis: Iam meo ſermone bene prouiſum eſſe furibus, atque à Cardinale etiam

Feſtiuus dialogus fratris & morionis.

iam cautum de erronibus, ſtare nunc vti his præterea conſuleretur publicitus, quos ad egeſtatem morbus aut ſenectus impuliſſet, atque ad labores vnde viui poſſit, reddidiſſet impotes, Sine, inquit, me. nam ego & hoc recte vt fiat, videro. Etenim hoc genus hominum miſere cupio aliquò è conſpectu amoliri meo, ita me male vexarunt ſæpe, cum querulis illis opplorationibus flagitarent pecuniam, quas nunquam tamen tam commode potuerunt occinere, vt nummum à me extorquerent. Quippe ſemper alterum euenit, vt aut non libeat dare, aut ne liceat quidem, quando nihil eſt quod detur. Itaque nunc cœperunt ſapere. nam ne perdant operam, vbi me prætereire vident, prætermittũt taciti, ita nihil à me ſperant amplius, non

Prouerbium vulgo iactatum apud mẽdicos.

hercule magis quã si essem sacerdos. Sed illos ego mẽdicos omnes lata lege distribui ac dispartiri iubeo in Benedictinorũ cœnobia, & fieri laicos, vt vocant monachos: Mulieres moniales esse impero. Subrisit Cardinalis & approbat ioco, cæteri etiam serio. Cæterum Theologus quidã frater hoc dicto in sacerdotes ac monachos adeo est exhilaratus, vt iam ipse quoq; cœperit ludere homo alioqui prope ad toruitatem grauis. Ac ne sic quidem, inquit, extricaberis à mendicis, nisi nobis quoque prospexeris fratribus. Atqui, inquit parasitus, hoc iam curatum est. Nam Cardinalis egregie prospexit vobis, quũ statueret de cohercendis, atque opere exercendis erronibus. nam vos estis errones maximi. Hoc quoq; dictum, quum coniectis in

Car-

Cardinalē oculis, eum viderent non abnuere, cœperunt omnes non illibenter arripere, excepto fratre. Nam is (neq; equidem miror) tali perfusus aceto, sic indignatus est, atq; incanduit, vt nec à cōuiciis quidem potuerit temperare: hominem vocauit nebulonem, detractorem, susurronem, & filium perditionis, minas interim terribiles citās è scriptura sacra. Iam scurra serio scurrari cœpit, & erat planè in sua palæstra. Noli, inquit, irasci bone frater, scriptum est, in patientia vestra possidebitis animas vestras. Rursum frater (referam enim ipsius verba) non irascor, inquit, furcifer, vel saltem non pecco. Nam Psalmista dicit, Irascimini & nolite peccare. Admonitus deinde frater à Cardinale suauiter, vt suos affectus compesce-

Allusit ad illud Horatianum, Ita lo perfusus aceto.

Vt seruat decorum in narratione.

pesceret. Non domine, inquit, ego loquor nisi ex bono zelo sicut debeo, Nam viri sancti habuerũt bonum zelum, vnde dicitur, Zelus domus tuæ comedit me. & canitur in ecclesiis, Irrisores Helizei, dum conscendit domum dei, zelus calui sentiunt, sicut fortasse sentiet iste derisor, scurra, ribaldus. Facis inquit Cardinalis, bono fortassis affectu, sed mihi videris facturus, nescio an sanctius, certe sapientius, si te ita compares, ne cum homine stulto & ridiculo, ridiculum tibi certamẽ instituas. Non domine inquit, non facetem sapientius. Nam Solomon ipse sapientissimus dicit: Responde stulto secundum stultitiam eius, sicut ego nunc facio, & demonstro ei foueam in quam cadet, nisi bene præcaueat. Nam si multi irrisores Helizei, qui erat tan-

Apparet fratrẽ ob imperitiã, Zelus abusum neutro genere, sicut hoc scelus.

tantum vnus caluus, ſenſerunt zelus calui, quanto magis ſentiet vnus deriſor multorum fratrum, in quibus ſunt multi calui? & etiam habemus bullam Papalem, per quam omnes qui derident nos, ſunt excommunicati. Cardinalis, vbi vidit nullum fieri finem nutu ablegato paraſito, ac aliam in rem commodum verſo ſermone, paulo poſt ſurgit è menſa, atq; audiendis clientum negociis dedit ſe noſque dimiſit. En mi More, quam longo te ſermone oneraui, quod tam diu facere plane puduiſſet me, niſi tu & cupide flagitaſſes, & ſic videreris audire, tanquam nolles quicquam eius cõfabulationis omitti, quę quanq̃ aliquãto perſtrictius, narranda tamen mihi fuit omnino propter eorum iudicium, qui quæ me dicente ſpreuerant, eadem rurſus

eue-

eueſtigio non improbante Cardinale, etiam ipſi comprobarunt, vſque adeo aſſentantes ei, vt paraſiti quoque eius inuentis, quæ dominus per iocum non aſpernabatur, adblandirentur, & ſerio propemodum admitterent. Vt hinc poſſis æſtimare, quanti me ac mea conſilia, aulici forent æſtimaturi. Profecto mi Raphael, inquam, magna me affeciſti voluptate, ita ſunt abs te dicta prudenter ſimul & lepide omnia. præterea viſus mihi interim ſum non ſolum in patria verſari, verumetiam repueraſcere quodammodo iucunda recordatione Cardinalis illius, in cuius aula puer ſum educatus. cuius viri memoriæ quod tu tam impenſe faues, non credas mi Raphaël, quanto mihi ſis effectus hoc nomine charior, cum eſſes alio-

alioqui chariſſimus. Cæterum non poſſum adhuc vllo pacto meam demutare ſentẽtiam, quin te planè putem, ſi animum inducas tuum, vti ne ab aulis principum abhorreas, in publicum poſſe te tuis conſiliis plurimum boni conferre. quare nihil magis incumbit tuo, hoc eſt boni viri officio. Siquidem cum tuus cenſeat Plato, reſp. ita demum futuras eſſe felices, ſi aut regnent philoſophi, aut reges philoſophentur, quã procul aberit felicitas, ſi philoſophi regibus nec dignẽtur ſaltem ſuum impartiri cõſilium? Nõ ſunt, inquit ille, tam ingrati, quin id libenter facerent, imò multi libris æditis iam fecerunt, ſi hii qui rerum potiũtur eſſent parati, bene cõſultis parêre. Sed bene haud dubie præuidit Plato, niſi reges philoſophentur ipſi, nunquam futu-

futurum, vt peruersis opinionibus à pueris imbuti atque infecti, penitus philosophantium comprobent cõsilia: quod ipse quoque experiebatur apud Dionysiũ. An non me putas, si apud aliquem regum decreta sana proponerem, & perniciosa malorum semina conarer illi euellere, protinus aut eiiciendum aut habendum ludibrio? Age finge, me apud regem esse Gallorum, atque in eius considere cõsilio, dum in secretissimo secessu pĩsidẽte rege ipso in corona prudẽtissimorũ hominũ magnis agitur studiis, quibus artib. ac machinamẽtis Mediolanũ retineat, ac fugitiuam illam Neapolim ad se retrahat: postea vero euertat Venetos, ac totam Italiam subiiciat sibi, deinde Flandros, Brabantos, totam postremo Burgundiam suæ faciat ditionis, atque

Tecte Gallos dehortatur ab Italia paranda.

alias

alias præterea gentes, quarum regnum iam olim animo inuaſit, Hic dum alius ſuadet, feriendum cum Venetis fœdus tantiſper duraturum, dum ipſis fuerit commodum, cum illis communicandum conſilium, quin deponendam quoque apud eoſdem aliquam prædę partem, quam rebus ex ſentẽtia peractis repetat, Dum alius conſulit conducendos Germanos, alius pecunia demulcendos Eluetios, Alius aduerſus numen imperatoriæ maieſtatis, auro, velut anathemate, propitiandum, Dum alii videtur cum Arragonum rege componendas eſſe res, & alieno Nauariæ regno, velut pacis authoramẽto cedendum: Alius interim cenſet Caſtelliæ principem aliqua ſpe affinitatis irretiendum, atq; aulicos nobiles aliquot in ſuam factionem.

Eluetii cō-ductitii.

nem certa pensione esse pertrahendos, Dum maximus omnium nodus occurrit, quid statuendum interim de Anglia sit, Cæterum de pace tractandũ tamen, & constringẽda firmissimis vinculis semper infirma societas, amici vocẽtur, suspiciãtur vt inimici, Habẽdos igitur paratos, velut in statione Scotos, ad omnẽ intentos occasionẽ, si quid se cõmoueant Angli, protinus immittendos, Adhæc fouendum exulem nobilem aliquem occulte, namque id aperte ne fiat prohibent fœdera, qui id regnum sibi deberi contendat, vt ea velut ansa contineat suspectum sibi principem, Hic inquam, in tanto rerum molimine, tot egregiis viris ad bellum sua certatim consilia conferentibus si ego humuncio surgam, ac verti iubeam vela, omittendam Itali-

am censeam & domi dicam esse manēdum, vnum Galliæ regnum fere maius esse, quam vt commode possit ab vno administrari, ne sibi putet rex de aliis adiiciendis esse cogitandum, Tum si illis proponerem decreta Achoriorum populi, Vtopiensium insulæ ad Euronoton oppositi, qui quum olim bellum gessissent, vt regi suo aliud obtinerent regnum, quod affinitatis antiquæ causa sibi contendebat hæreditate deberi, consequuti tandem id, vbi viderunt nihilo sibi minus esse molestiæ in retinendo, quàm in quærendo pertulerunt, verum assidua pullulare semina, vel internæ rebellionis, vel externæ incursionis in deditos, ita semper aut pro illis, aut contra pugnandum, nunquam dari facultatem dimittendi exercitus, compilari interim *Exemplū annotandum.*

se, ef-

ſe, efferri foras pecuniam, alienæ gloriolæ ſuum impendi ſanguinem, pacem nihilo tutiorẽ, domi corruptos bello mores, imbibitam latrocinandi libidinem, confirmatam cædibus audaciam, leges eſſe contemptui, quod rex in duorum curam regnorum diſtractus, minus in vtrumuis animum poſſet intendere. Cum viderent alioqui tãtis malis nullum finem fore, inito tandem conſilio, regi ſuo humaniſſime fecerunt optionẽ retinẽdi vtrius regni vellet, nã vtriuſq; nõ fore poteſtatẽ, ſe plures eſſe, quã q à dimidiato poſſint rege gubernari, quũ nemo ſit libẽter admiſſurus mulionem ſibi cũ alio cõmunem. Ita coactus eſt ille bonus princeps, nouo regno cuipiam ex amicis relicto (q breui etiã poſt eiectus eſt) antiquo eſſe cõtentus. Præterea ſi oſtenderem omnes,

omnes hos conatus bellorum, quibus tot nationes eius causa tumultuarentur, quum thesauros eius exhausissent, ac destruxissent populum, aliqua tandem fortuna frustra cessuros tamen, proinde auitum regnum coleret, ornaret quantum posset, & faceret quam florentissimum. Amet suos & ametur à suis, cum his vna viuat, imperetque suauiter, atque alia regna valere sinat, quando id quod nūc ei contigisset, satis amplum superque esset. Hanc orationē quib. auribus mi More putas excipiendam? Profecto nō valde pronis, inquam. Pergamus ergo inquit, si consiliariis cum rege quopiam tractantibus, & comminiscentibus, quibus technis ei queant coaceruare thesauros, dū vnus intendendam consulit æstimationem monetæ, quum ipsi sit

eroganda pecunia. deiiciendam rursus infra iustum, quum fuerit corroganda. vti & multum æris paruo dissoluat, & pro paruo multum recipiat: Dum alius suadet vt bellum simulet, atque eo prætextu, coacta pecunia, cum visum erit, faciat pacem sanctis ceremoniis, quo plebeculę oculis fiat pręstigium, miseratus videlicet humanum sanguinem princeps pius: Dum alius ei suggerit in mentem, antiquas quasdam, & tineis adesas leges, longa desuetudine antiquatas, quas quod nemo latas meminisset, omnes sint transgressi, earum ergo mulctas iubeat exigi, nullum vberiorem prouentum esse, nullum magis honorificum, vtpote qui iustitiæ præ se personam ferat: Dum ab alio admonetur, vti sub magnis mulctis multa prohibeat, ma-

xime

xime talia, quæ ne fiant, in rem ſit populi, poſt pecunia cum illis diſpenſet, quorum commodis obſtat interdictum, ſic & à populo gratiam iniri, & duplex adferri compendium, vel dum hi mulctantur, quos quæſtus cupiditas pellexit in caſſes, vel dum aliis vendit priuilegia tanto pluris, quãto ſcilicet fuerit melior princeps, vtpote qui grauatim quicquam contra populi commodum priuato cuiquam indulgeat, & ob id non niſi magno precio. Dum alius ei perſuadet obſtringendos ſibi iudices, qui quauis in re pro regio iure diſceptent, acerſendos præterea in palatium, atque inuitandos vti coram ſe de ſuis rebus diſſerant, ita nullam cauſam eius tam aperte iniquam fore, in qua non aliquis eorum

vel contradicendi ſtudio vel pudore dicendi eadem, vel quo gratiam ineant, apud eum aliquam reperiant rimam, qua poſſit intendi calumnia. Sic dum iudicibus diuerſa ſentientibus, res per ſe clariſſima diſputatur, & veritas in quęſtionem venit, anſam commodum regi dari, pro ſuo commodo ius interpretandi, cæteros aut pudore acceſſuros, aut metu, ſic intrepide fertur poſtea pro tribunali ſententia. Neq; n. deeſſe p̄text⁹ poteſt ꝓnuncianti pro principe. Nēpe cui ſatis eſt aut æquitatem à ſua parte eſſe, aut verba legis, aut contortum ſcripti ſenſum, aut quæ legibus denique omnibus præponderat, apud religioſos iudices principis indiſputabilem prærogatiuam. Dum omnes in Craſſiano illo conſentiunt atq; conſpirant, Nullam auri vim

Craſſi diuitis dictum.

vim ſatis eſſe principi, cui ſit alendus exercit⁹, præterea nihil iniuſte regem facere, vt maxime etiam velit poſſe. Quippe omnia omnium eius eſſe, vt homines etiam ipſos, tantum vero cuiq; eſſe proprium, quantum regis benignitas ei non ademerit, quod ipſum vt quam minimum ſit, principis multum referre, vt cuius tutamentum in eo ſitum ſit, ne populus diuitiis ac libertate laſciuiat, quod hæ res minus patienter ferant dura atque iniuſta imperia, quum contra egeſtas atque inopia retundat animos, ac patientes reddat, adimatque preſſis generoſos rebellandi ſpiritus. Hic ſi ego rurſus adſurgens contendam, hæc conſilia omnia regi & inhoneſta eſſe, & pernicioſa, Cuius non honor modo, ſed ſecuritas quoque in populi magis

opibus ſita ſit quàm ſuis. quos ſi oſtẽdam, regem ſibi deligere ſua cauſa, non regis, videlicet vti eius labore ac ſtudio ipſi commode viuant, tutiq; ab iniuriis. eoq; magis ad principem eam pertinere curam, vt populo bene ſit ſuo, q̃ vt ſibi, non aliter ac paſtoris officium eſt, oues potius quàm ſemet paſcere, quatenus opilio eſt. Nam quod populi egeſtatem cẽſeant pacis præſidium eſſe, longiſſime aberrare eos, ipſa res docet. Nempe vbi plus rixarum cõperias, quàm inter mendicos? Quis intentius mutationi rerum ſtudet, quàm cui minime placet præſens vitæ ſtatus? Aut cui denique audacior impetus ad conturbanda omnia, ſpe alicunde lucrandi, quàm cui iam nihil eſt quod poſſit perdere? Quod ſi rex aliquis adeo aut contemptus eſ-

ſet, aut inuiſus ſuis, vt aliter eos continere in officio non poſſit, niſi contumeliis, compilatione, & ſectione graſſetur, eoſque redigat ad mendicitatem, præſtiterit illi profecto regno abdicare, quã his retinere artibus, quibus quanquam imperii nomen retineat, certe amittit maieſtatem. Neque enim regiæ dignitatis eſt, imperium in mendicos exercere, ſed in opulentos potius, atque felices. Quod ipſum ſenſit certe vir erecti ac ſublimis animi Fabricius, cum reſponderet, malle ſe imperare diuitibus, quàm diuitem eſſe. Et profecto vnum aliquem voluptate ac deliciis fluere, gementib. vndiq; ac lamentantibus aliis, hoc non eſt regni, ſed carceris eſſe cuſtodẽ. Deniq; vt imperitiſſimus medicus eſt, q morbũ neſcit niſi morbo curare, ita q vitã

ciuium non nouit alia via corrigere, quã ademptis vitæ commodis, is se nescire fateatur imperare liberis. quin aut inertiam potius mutet suam, aut superbiam. nam his ferè vitiis accidit, vt populus eũ vel contemnat, vel habeat odio. Viuat innocuus de suo, sumptus ad reditus accommodet, refrenet maleficia, & recta institutione suorum præueniat potius, q̃ sinat increscere, q̃ deinde puniat. leges abrogatas consuetudine haud temere reuocet, præsertim quæ diu desitæ, nunquam desideratæ sunt. neq; vnquam commissi nomine eiusmodi quicquam capiat, quale priuatum quempiã iudex, velut iniquũ ac vafrũ nõ pateretur accipere. Hic si proponerẽ illis Macarensiũ legem, q & ipsi non longe admodum absunt ab Vtopia, quorum rex, quo primũ

Mira lex Macarensium.

die

die auſpicatur imperium, magnis adhibitis ſacrificiis iuriiurando adſtringitur, nunquã ſe vno tempore ſupra mille auri pondo in theſauris habiturum, aut argenti, quantũ eius auri precium æquet. Hanc legẽ ferũt ab optimo quodam rege inſtitutam, cui maiori curæ fuit patriæ cõmodum, quã diuitiæ ſuæ, velut obicẽ aceruandæ pecuniæ tantę, quanta faceret inopiam eius in populo. Nẽpe eũ theſaurum videbat ſuffecturum, ſiue regi aduerſus rebelleis, ſiue regno aduerſus hoſtium incurſiones eſſet confligendum. Cæterum minorem eſſe, quàm vt animos faciat inuadendi aliena. quæ potiſſima condendæ legis cauſa fuit. Proxima, quod ſic proſpectum putauit, ne deſit pecunia, quæ in quotidiana ciuium cõmutatione verſetur, & quum

regi necesse est erogare, quicquid thesauro supra legitimum accreuit modum, non quæsiturũ censuit occasiones iniuriæ. Talis rex & malis erit formidini, & à bonis amabitur. Hæc ergo atque huiusmodi si ingererẽ apud homines, in contrariam partem vehementer inclinatos, quã surdis essem narraturus fabulam? Surdissimis inquã, haud dubie. neq; hercule miror, neq; mihi videntur (vt vere dicã) huiusmodi sermones ingerendi, aut talia danda consilia, quæ certus sis nunquam admissum iri. Quid enim prodesse possit, aut quomodo in illorum pectus influere sermo tam insolens, quorum præoccupauit animos, atq; insedit penitus diuersa p̃suasio? Apud amiculos in familiari colloquio non insuauis est hæc philosophia scholastica. Cæterum

Prouerbium.

Philosophia scholastica.

terum in consiliis principum, vbi res magnæ, magna autoritate aguntur, nõ est his reb. locus. Hoc est, inquit ille, quod dicebam, nõ esse apud principes locũ philosophiæ. Imò inquam est verum, nõ huic scholasticæ, q̃ quiduis putet vbiuis conuenire, sed est alia philosophia ciuilior, q̃ suã nouit scenam, eiq; sese accommodans, in ea fabula quæ in manibus est, suas partes concinne & cum decoro tutatur. Hac vtendum est tibi. Alioquin dum agitur quæpiã Plauti comœdia, nugantibus inter se vernulis, si tu in prosceniũ prodeas habitu philosophico, & recenseas ex Octauia locum, in quo Seneca disputat cum Nerone, nonne præstiterit egisse mutam personam, quàm aliena recitando talem fecisse tragicomœdiam? Corruperis enim per-

ὁμοίωσις mira.

κωφὸν πρόσωπον.

uerterisque præsentem fabulam, dum diuersa permisces, etiam si ea quæ tu affers, meliora fuerint. Quæcunque fabula in manu est, eam age quam potes optime. neque ideo totam perturbes, quod tibi in mẽtem venit alterius, quæ sit lepidior. Sic est in Repub. sic in consultationibus principum. Si radicitus euelli non possint opiniones prauæ, nec receptis vsu vitiis mederi queas ex animi tui sententia, non ideo tamen deserenda Resp. est, & in tempestate nauis destituenda est, quoniam ventos inhibere nõ possis. At neque insuetus & insolens sermo inculcandus, quem scias apud diuersa persuasos pondus nõ habiturum. sed obliquo ductu conandum est, atq; adnitendum tibi, vti pro tua virili omnia tractes commode. & quod in bonum nequis

ver-

vertere, efficias ſaltem, vt ſit quã minime malum. Nam vt omnia bene ſint, fieri non poteſt, niſi omnes boni ſint, quod ad aliquot abhinc annos adhuc nõ expecto. Hac, inquit, arte nihil fieret aliud, quàm ne dum aliorum furori mederi ſtudeo, ipſe cum illis inſaniam. Nam ſi vera loqui volo, talia loquar neceſſe eſt. Cæterum falſa loqui, ſit ne philoſophi neſcio, certe non eſt meum. Quanquã ille meus ſermo vt fuerit fortaſſe ingratus illis, atq; moleſtus, ita nõ video cur videri debeat vſque ad ineptias inſolens. Quod ſi aut ea dicerem, quæ fingit Plato in ſua Rep. aut ea quæ faciunt Vtopienſes in ſua, hęc quanquã eſſent (vt certe ſunt) meliora, tamen aliena videri poſſint, quod hic ſingulorum priuatæ ſunt poſſeſſiones, illic omnia ſunt communia. *Vtopienſium inſtituta.*

Meus vero ſermo niſi quod ad eos qui ſtatuiſſent ſecum, ruere diuerſa via præcipites, iucundus eſſe nõ poteſt, qui reuocet ac pręmonſtret pericula, alioqui quid habuit, quod non vbiuis dici vel conueniat, vel oporteat? Equidẽ ſi omittẽda ſunt omnia tanquam inſolentia atq; abſurda, quæcunq; peruerſi mores hominum fecerunt, vt videri poſſint aliena, diſſimulemus oportet apud Chriſtianos pleraq; omnia, q̃ CHRISTVS docuit, ac diſſimulari vſqueadeo vetuit, vt ea quoq; quæ ipſe in aures inſuſurraſſet ſuis, palàm in tectis iuſſerit prædicari. Quorũ maxima pars ab iſtis moribus longe eſt alienior, quàm mea fuit oratio. Niſi quod concionatores homines callidi, tuum illud conſilium ſecuti puto, quando mores ſuos homines ad

CHRISTI normã grauatim paterentur aptari, doctrinam eius velut regulam plumbeam accõmodauerunt ad mores, vt aliquo ſaltem pacto coniungerentur ſcilicet. qua re nihil video quid profecerint, niſi vt ſecurius liceat eſſe malos, atque ipſe profecto tantundem proficiã in cõſiliis principum. Nam aut diuerſa ſentiam, ꝙ perinde fuerit, ac ſi nihil ſentiã. aut eadem, & ipſorũ adiutor ſim, vt inquit Mitio Terentianus inſaniæ. Nam obliquus ille ductus tuus nõ video quid ſibi velit, quo cenſes adnitendũ, ſi non poſſint omnia reddi bona, tamen vt tractentur commode, fiantq;, quoad licet, quam minime mala. Quippe non eſt ibi diſſimulandi locus, nec licet conniuere. approbanda ſunt aperte peſſima conſilia, & decretis peſtilentiſſimis

ſub-

ſubſcribendum eſt. Speculatoris vice fuerit, ac pene proditoris, etiam qui improbe conſulta, maligne laudauerit. Porro nihil occurrit, in quo prodeſſe quicquam poſſis, in eos delatus collegas, qui vel optimũ virũ facilius corruperint, q̃ ipſi corrigantur. quorum ꝑuerſa cõſuetudine vel deprauaberis, vel ipſe integer atque innocens alienæ maliciæ ſtulticiæq; ꝓtexeris, tantum abeſt vt aliquid poſſit in melius obliquo illo ductu conuertere. Quam ob rem pulcherrima ſimilitudine declarat Plato, cur merito ſapientes abſtineant à capeſſenda Rep. Quippe quũ populum videant in plateas effuſum aſſiduis imbribus perfundi, nec perſuadere queant illis, vt ſe ſubducant pluuiæ, tectaque ſubeant. gnari nihil profuturos ſeſe, ſi exeant, quam vt vna

com-

compluantur, ſemet intra tecta continent, habentes ſatis, quando alienæ ſtulticiæ non poſſunt mederi, ſi ipſi ſaltem ſint in tuto. Quanquam profecto mi More (vt ea verè dicam, quæ meus animus fert) mihi videtur vbicunque priuatæ ſunt poſſeſſiones, vbi omnes omnia pecuniis metiuntur ibi vix vnquam poſſe fieri, vt cum Repup. aut iuſte agatur, aut proſpere, niſi vel ibi ſentias agi iuſte, vbi optima quæque perueniũt ad peſſimos, vel ibi feliciter, vbi omnia diuiduntur in paucisſimos, nec illos habitos vndecunque commode, cæteris vero plane miſeris. Quam ob rem quum apud animum meum reputo prudentiſſima atque ſanctiſſima inſtituta Vtopienſium, apud quos tam paucis legibus, tam commode res adminiſtrãtur, vt & virtuti

pre-

precium ſit, & tamen æquatis rebus omnia abundent omnibus, tum vbi his eorum moribus ex aduerſo comparo tot nationes, alias ſemper ordinantes, nec vllam ſatis ordinatam vnquam earum omnium, in quibus quod quiſq; nactus fuerit, ſuum vocat priuatum, quorum tam multæ indies conditæ leges non ſufficiunt, vel vt conſequatur quiſquam, vel vt tueatur, vel vt ſatis internoſcat ab alieno, illud quod ſuum inuicem quiſq; priuatū nominat, id quod facile indicant infinita illa tam aſſidue naſcentia, quàm nunquam finienda litigia, hęc inquam, dum apud me conſidero, æquior Platoni fio, minuſque demiror, dedignatum illis leges ferre vllas, qui recuſabant eas, quibus ex æquo omnes omnia partirentur commoda. Siquidem facile

præuidit homo prudentiſſimus, vnam atq; vnicam illam eſſe viam ad ſalutem publicam, ſi rerum indicatur æqualitas, quæ neſcio an vnquam poſſit obſeruari, vbi ſua ſunt ſingulorum propria. Nam quum certis titulis quiſq; quantum poteſt ad ſe conuertit, quantacunque fuerit rerum copia, eam omnem pauci inter ſe partiti, reliquis relinquunt inopiam, fereq; accidit vt alteri ſint alterorũ ſorte digniſſimi, quum illi ſint rapaces, improbi, atque inutiles, contra ii modeſti viri, ac ſimplices, & quotidiana induſtria in publicum quàm in ſemet benigniores. Adeo mihi certe perſuadeo, res æquabili ac iuſta aliqua ratione diſtribui, aut feliciter agi cum rebus mortalium, niſi ſublata prorſus proprietate, non poſſe. Sed manente illa, manſuram

ſem-

ſemper apud multo maximã mul toq; optimã hominũ partẽ, egeſtatis & ærumnarũ anxiã atq; ineuitabilẽ ſarcinã. Quã vt fateor leuari aliquãtulũ poſſe, ſic tolli planè cõtendo nõ poſſe. Nẽpe ſi ſtatuatur ne quis ſupra certum agri modum poſſideat,& vti ſit legitimus cuique cenſus pecuniæ, ſi fuerit legib. quibuſdam cautum, vt neque ſit princeps nimium potens, neque populus nimis inſolens, Tum magiſtratus ne ambiantur neu dentur venum, aut ſumptus in illis fieri ſit neceſſe, alioquin & occaſio datur per fraudem ac rapinas ſarciendæ pecuniæ, & fit neceſſitas eis muneribus præficiendi diuites, quæ potius fuerant adminiſtranda prudentibus. talibus inquam legibus quemadmodum ægra aſſiduis ſolent fomentis fulciri corpora de-

plo-

ploratæ valetudinis, ita hæc quoque mala leniri queant, ac mitigari. vt ſanentur vero, atque in bonum redeant habitum nulla omnino ſpes eſt, dum ſua cuique ſunt propria. Quin dũ vnius partis curæ ſtudes, aliarũ vulnus exaſperaueris, ita mutuo naſcitur ex alterius medela alterius morbus, quãdo nihil ſic adiici cuiq̃ poteſt, vt non idẽ adimatur alii. At mihi, inquam, contra videtur, ibi nunquam commodè viui poſſe, vbi omnia ſint communia. Nam quo pacto ſuppetat copia rerum, vnoquoque ab labore ſubducente ſe? vtpote quem neque ſui quæſtus vrget ratio, & alienæ induſtriæ fiducia reddit ſegnem. At quum & ſtimulentur inopia, neque quod quiſquam fuerit nactus, id pro ſuo tueri vlla poſſit lege, an non neceſſe eſt ꝑpetua cæde ac ſeditione

ne laboretur? Sublata præsertim autoritate ac reuerentia magistratuum, cui quis esse locus possit, apud homines taleis, quos inter nullum discrimẽ est, ne comminisci quidem queo. Non miror inquit, sic videri tibi, quippe cui ei⁹ imago rei aut nulla succurrit, aut falsa. Verum si in Vtopia fuisses mecum, moresque eorum atque instituta vidisses præsens, vt ego feci, qui plus annis quinq; ibi vixi, neque vnquam voluissem inde discedere, nisi vt nouum illum orbem proderem, tum planè faterere, populum recte institutum nusquam alibi te vidisse quam illic. Atqui profecto inquit Petrus Ægidius, ægre persuadeas mihi, melius institutum populum in nouo illo, quam in hoc noto nobis orbe reperiri, vt in quo neque deteriora ingenia, & vetustio-

ſtiores opinor eſſe, quam in illo Reſp. & in quibus plurima ad vitam commoda longus inuenit vſus, vt ne adiiciam apud nos caſu reperta quædam, quibus excogitandis nullum potuiſſet ingenium ſufficere. Quod ad vetuſtatem, inquit ille, rerum attinet publicarum, tum pronunciare poſſes rectius, ſi hiſtorias illius orbis perlegiſſes, quibus ſi fides haberi debet, prius apud eos erãt vrbes, quam homines apud nos. iam vero quicquid hactenus vel ingenium inuenit, vel caſus reperit, hoc vtrobique potuit extitiſſe. Cæterum ego certe puto, vt illis præſtemus ingenio, ſtudio tamen atque induſtria longe à tergo relinquimur. Nam (vt ipſorum habent annales) ante appulſum illuc noſtrum, de rebus noſtris (quos illi vocant Vltraequinoctialeis)

nihil

nihil vnquam quicquam audierant, nisi quod olim annis ab hinc ducentis supra mille, nauis quædam apud insulam Vtopiam naufragio periit, quam tempestas eo detulerat. Eiecti sunt in littus Rhomani quidam atque Ægyptii, qui postea nũquam inde discessere. Hanc vnam occasionem vide quam commodam illis sua fecit industria. Nihil artis erat intra Rhomanum imperium, vnde possit aliquis esse vsus, quod non illi aut ab expositis hospitibus didicerint, aut acceptis quærendi seminib. adinuenerint, tãto bono fuit illis aliquos hinc semel illuc esse delatos. At si qua similis fortuna quempiam antehac illinc huc perpulerit, tam penitus hoc obliteratum est, quam istud quoque forsan excidet posteris, me aliquando illic fuisse. Et vt illi vno

ſtatim congreſſu quicquid à nobis commode inuentum eſt, fecerunt ſuum: Sic diu futurum puto, priuſquam nos accipiamus quicquam, quod apud illos melius quã nobis eſt inſtitutum. Quod vnum maxime eſſe reor in cauſa, cur quum neque ingenio, neque opibus inferiores ſimus eis, ipſorum tamen res quam noſtra prudentius adminiſtretur, & felicius effloreſcat. Ergo mi Raphaël inquam, quæſo te atque obſecro, deſcribe nobis inſulam. nec velis eſſe breuis, ſed explices ordine agros, fluuios, vrbes homines, mores, inſtituta, leges, ac denique omnia, quæ nos putes velle cognoſcere. putabis autẽ velle quicquid adhuc neſcimus. Nihil, inquit, faciam libentius, Nam hæc in promptu habeo, ſed res ocium poſcit. Eamus ergo inquam, intro

pransum, mox tempus nostro arbitratu sumemus. Fiat inquit. Ita ingreßi prandemus. pransi, in eundem reuersi locum, in eodem sedili consedimus, ac iußis ministris, ne quis interpellaret, ego ac Petrus Ægidius hortamur Raphaëlē, vt præstet q͂ erat pollicitus. Is ergo vbi nos vidit intentos atque auidos audiēdi, quum paulisper tacitus & cogitabundus assedisset hunc in modum exorsus est.

PRIMI LIBRI FINIS.

SER-

SERMONIS QVEM RAPHAEL HYTHLODÆVS

de optimo Reip. statu habuit, liber secundus, per Thomam Morum ciuem & vicecomitem Londinensem.

VTOPIENSIVM insula in media sui parte (nam hac latissima est) millia passuum ducēta porrigitur, magnumque per insulæ spacium non multo angustior, fines versus paulatim vtrinque tenuatur. hi velut circumducti circino quingentorum ambitu millium, insulam totam in lunæ speciem renascentis effigiant. Cuius cornua fretum interfluēs, millibus passuum plus

Situs & forma Vtopiæ nouæ insulæ.

minus vndecim dirimit, ac per ingens inane diffusum, circumiectu vndique terræ prohibitis ventis, vasti in morem lacus stagnans magis quam sæuiens, omnem prope eius terræ aluum pro portu facit. magnoque hominum vsu naues quaqua versus transmittit. fauces hinc vadis, inde saxis formidolosæ. In medio ferme interstitio vna rupes eminet, eoque innoxia, cui inædificatam turrim præsidio tenent, cæteræ latentes & insidiosæ. Canales solis ipsis noti, atque ideo nõ temere accidit, vti exterus quisquam hunc in sinum, nisi Vtopiano duce, penetret, vt in quem vix ipsis tutus ingressus est, nisi signis quibusdam è littore viã regentibus. His in diuersa translatis loca, hostiũ quãlibet numerosam classem facile in perniciem traherẽt. Ab altera par-

Locus natura tutus vnico præsidio defẽditur,

parte non infrequentes portus. At vbique descensus in terram ita natura munitus, aut arte, vt ingentes copiæ paucis inde queant propugnatoribus arceri. Cæterum vti fertur, vtique ipsa loci facies præ se fert, ea tellus olim non ambiebatur mari. Sed Vtopus cuius vtpote victoris nomen refert insula, Nam ante id temporis Abraxa dicebatur, quique rudem atque agrestem turbam ad id quo nunc cæteros prope mortales antecellit cultus humanitatisque perduxit, primo protinus appulsu victoria potitus, passuum millia quindecim, qua parte tellus continenti adhæsit, exscindendum curauit, ac mare circum terram duxit. Quumque ad id operis non incolas modo coëgisset (ne contumeliæ loco laborem ducerent) sed suos præterea mili-

Stratagema ex mutatis signis.

Vtopia insula ab Vtopo duce.

Hoc plus erat quã Isthmum perfodere.

Facile fertur quod omnibus commune est.

tes omnes adiungeret, in tantam hominum multitudinem opere distributo, incredibili celeritate res perfecta, finitimos (qui initio vanitatem incepti riserãt,) admiratione successus ac terrore perculerit. Insula ciuitates habet quatuor & quinquaginta spaciosas omnes ac magnificas, lingua, moribus, institutis, legibus prorsus iisdem, idem situs omnium, eadem vbique quatenus per locum licet, rerum facies. Harum quæ proximæ intersunt millia quatuor, ac viginti separant. Nulla rursus est tam deserta, è qua nõ ad aliam vrbem pedibus queat vnius itinere diei perueniri. Ciues quaque ex vrbe terni senes ac rerum periti, tractatum de rebus insulæ communibus, quotannis conueniunt Amaurotum. Nam (ea vrbs quod tanquam in vmbi-

Oppida Vtopiæ insulæ.

Similitudo concordiã facit.

Vrbium inter se mediocre interuallũ.

vmbilico terræ ſita maxime iacet omnium partium legatis opportuna) prima princepsque habetur. Agri ita commode ciuitatibus aſſignati ſunt, vt ab nulla parte minus ſoli quam x x. paſſuum millia vna quæuis habeat. ab aliqua multo etiam amplius, videlicet qua parte longius vrbes inter ſe diſiunguntur. Nulli vrbi cupido promouendorum finium. Quippe quos habent agricolas, magis eorum ſe quam dominos putant. Habent ruri per omnes agros commode diſpoſitas domos, ruſticis inſtrumentis inſtructas. Hæ habitantur ciuibus per vices eo commigrantibus. Nulla familia ruſtica in viris mulieribusque pauciores habet, quam quadraginta præter duos aſſcriptitios ſeruos, quibus pater materque familias graues ac maturi

Diſtributio agrorum.

At hinc hodie peſtis rerũp. omnium.

Prima cura agricolationis.

præficiuntur, & singulis tricenis familiis philarchus vnus. E quaq; familia viginti quotannis in vrbem remigrant hi, qui biennium ruri compleuere. In horum locum totidem recentes ex vrbe subrogantur, vt ab his qui annum ibi fuere, atque ideo rusticarum peritiores rerum, instituantur, alios anno sequente docturi, ne si pariter omnes ibi noui, agricolationisque rudes essent, aliquid in annona per imperitiam peccaretur. Is innouandorum agricolarum mos, & si solennis sit, ne quisquam inuitus asperiorem vitam cogatur continuare diutius, multi tamen quos rusticę rei studium natura delectat, plures sibi annos impetrant. Agricolæ terram colunt, nutriunt animalia, ligna cõparant, atq; in vrbẽ qua commodum est, terra marive cõuehunt.

Agricolarum officia.

Pullo-

Pullorum infinitam educăt multitudinem, mirabili artificio. Neque enim incubant oua gallinæ, ſed magnum eorum numerum calore quodam æquabili fouentes animant, educantq́;, hi ſimul atq; è teſta prodiere, homines, vice matrum comitantur, & agnoſcunt. Equos alunt perquam paucos, nec niſi ferocientes, neq; alium in vſum quàm exercendę rebus equeſtribus iuuenti. Nam omnem, ſeu colendi, ſeu vehendi laborem boues obeunt, quos (vt fatentur) equis impetu cedere, ſic patientia vincere, nec tot obnoxios morbis putant, ad hæc minore impendio & operæ & ſumptus ali, ac deniq; laboribus emeritos, in cibum tandem vſui eſſe. Semente, in ſolum panem vtuntur. Nam aut vuarum vinum bibunt, aut pomorum, pirorumve,

Mira ratio fouendi oua.

Vſus equorum.

Vſus boū.

Cibus & potus.

ve, aut denique aquam nonnunquam meram, sæpe etiã qua mel aut glycyrizam incoxerint, cuius haud exiguam habent copiam. Quum exploratum habeant (habent enim certissimum) quantum annonæ consumat vrbs, & circumiectus vrbi conuentus, tamen multo amplius & sementis faciunt, & pecudum educant, quàm quod in suos vsus sufficiat, reliquũ imparturi finitimis. Quibuscunque rebus opus est, quæ res ruri non habentur, eam supellectilem omnem ab vrbe petunt, & sine vlla rerum commutatione, à magistratibus vrbanis nullo negocio consequũtur. Nam illò singulo quoq; mense plerique ad festum diem conueniunt. Quum frumentandi dies instat, magistratibus vrbanis agricolarum philarchi denunciant, quã-

Modus sementis.

tum

tum ciuium numerum ad ſe mitti conueniat, quæ multitudo frumentatorum, quum ad ipſum diem opportune adſit, vno propè ſereno die tota frumentatione defunguntur.

Mutua opera quãtũ valeat.

DE VRBIBVS AC NOMInatim de Amauroto.

VRbium qui vnam norit, omnes nouerit. ita ſunt inter ſe (quatenus loci natura non obſtat) omnino ſimiles. Depingam igitur vnam quampiam (neque enim admodum refert quam) Sed quam potius, quàm Amaurotum? qua nec vlla dignior eſt, quippe cui ſenatus gratia reliquæ deferunt, nec vlla mihi notior, vt in qua annos quinq; perpetuo vixerim. Situm eſt igitur Amaurotum in leni deiectu montis, figura ferè quadrata. Nam latitudo

Amauroti primaria Vtopienſiũ vrbis deſcriptio.

eius paulò infra collis incœpta verticem, millibus passuum duobus ad flumē Anydrum pertinet, secundum ripam aliquanto longior. Oritur Anydrus milib. octoginta supra Amaurotum, modico fonte, sed aliorum occursu fluminum, atq; in his duorum etiam mediocrium auctus, ante vrbem ipsam quingētos in latum passus extenditur, mox adhuc amplior, sexaginta milia prolapsus, excipitur oceano. Hoc toto spacio, q̄ vrbem ac mare interiacet, ac supra vrbem quoque aliquot milia, sex horas perpetuas influens æstus ac refluus alternat celeri flumine. Quum sese pelagus infert, triginta in longum milia, totum Anydri alueum suis occupat vndis, profligato retrorsum fluuio. Tum aliquanto vltra liquorem eius salsugine corrumpit,

Anydri fluminis descriptio.

[I]dem fit [a]pud An[g]los in flu[m]ine Tha[m]ysi.

pit,

pit, dehinc paulatim dulceſcens amnis, ſincerus vrbem perlabitur, ac refugientem viciſſim purus & incorruptus, ad ipſas propè fauces inſequitur. Vrbs aduerſæ fluminis ripæ, non pilis ac ſublicibus ligneis, ſed ex opere lapideo, egregie arcuato ponte, commiſſa eſt, ab ea parte, quæ longiſſime diſtat à mari, quo naues totum id latus vrbis poſſint inoffenſæ præteruehi. Habent alium præterea fluuium, haud magnum quidem illum, ſed perquam placidum, ac iucundum. Nam ex eodem ſcaturiens monte, in quo ciuitas collocatur, mediam illam per deuexa perfluens, Anydro miſcetur. Eius fluuii caput fontemque, quod paulo extra vrbem naſcitur, munimẽtis amplexi Amaurotani iunxerũt oppido. ne ſi qua vis hoſtiũ

Et in hoc Londinũ cum Amauroto conuenit.

Vſus aquæ potabilis.

ingruat, intercipi atque auerti aqua neve corrumpi queat. Inde canalibus coctilibus, diuersim ad inferiores vrbis partes aqua diriuatur, id sicubi locus fieri vetat, cisternis capacibus, collecta pluuia, tantundem vsus adfert. Murus altus ac latus oppidum cingit, turribus ac propugnaculis frequens: arida fossa, sed alta, lataq;, ac veprium sepibus impedita, tribus ab lateribus circumdat mœnia, quarto flumen ipsum pro fossa est. Plateæ cum ad vecturam, tum aduersus ventos descriptæ commode: ædificia neutiquam sordida, quorum longa & totum per vicum perpetua series, aduersa domorum fronte conspicitur. has vicorũ frontes via distinguit pedes viginti lata. Posterioribus ædium partibus, quanta est vici longitudo, hortus adiacet, latus, & vi-

Mœnium munimẽta.

Plateæ cuiusmodi

Horti ædibus adhærentes.

& vicorum tergis vndiq; circumſeptus. Nulla domus eſt, quę non, vt hoſtium in plateam, ita poſticum in hortum habeat. Quin biſores quoq; facili tractu manus apertiles, ac dein ſua ſponte coëuntes, quemuis intromittunt, ita nihil vſquam priuati eſt. Nam domos ipſas vno quoque decennio ſorte cõmutant. Hos hortos magnifaciunt. in his vineas, fructus, herbas, flores habent. tanto nitore, cultuq;, vt nihil fructuoſius vſquam viderim, nihil elegantius. qua in re ſtudium eorum, nõ ipſa voluptas modo, ſed vicorũ quoque inuicem de ſuo cuiuſq; horti cultu certamen accendit. & certe non aliud quicquam temere vrbe tota reperias, ſiue ad vſum ciuium, ſiue ad voluptatem commodius. eoque nullius rei, quàm huiuſmodi hortorum, maiorem

Hæc ſapiunt communitatẽ Platonis.

Vtilitas hortorum etiã Maroni prædicata.

rem habuisse curam videtur is qui condidit. Nam totam hanc vrbis figuram, iam inde ab initio descriptam ab ipso Vtopo ferunt. Sed ornatum, cęterumq; cultum, quibus vnius ætatē hominis haud suffecturam vidit, posteris adiiciendum reliquit. Itaq; scriptum in annalibus habent, quos ab capta vsq; insula, mille septingētorum, ac sexaginta annorum complectentes historiam, diligenter & religiose perscriptos adseruant. ædes initio humiles, ac veluti casas, & tuguria fuisse, è quolibet ligno temere factas, parietes luto obductos, culmina in aciem fastigiata stramentis operuerant. At nunc omnis domus visenda forma tabulatorum trium, parietum facies aut silice aut cementis aut latere coctili constructæ, in aluum introrsus congesto rudere.

Tecta

Tecta in planum ſubducta, quæ intritis quibuſdam inſternunt, nullius impendii, ſed ea temperatura, quæ nec igni obnoxia ſit, & tolerandis tempeſtatum iniuriis plumbum ſuperet. Ventos è feneſtris vitro (nam eius ibi creberrimus vſus eſt) expellunt. Interim etiam lino tenui, quod perlucido oleo, aut ſuccino perlinunt, gemino nimirum cõmodo. Siquidem ad eum modum fit, vt & plus lucis tranſmittat, & ventorum minus admittat.

Vitreæ aut linteatæ feneſtræ.

DE MAGISTRATIBVS.

TRiginta quæq; familiæ magiſtratum ſibi quotannis eligunt, quem ſua priſca lingua Syphograntum vocant, recentiore philarchum, Syphograntis decem cum ſuis familiis Tranıborus olim, nunc Protophilarchus dictus

Tranıborus Vtopienſiũ lin-

gua sonat præfectũ primariũ.

dictus præficitur. Demũ Syphogranti omnes, qui sunt ducenti, iurati lecturos sese, quem maxime censent vtilem, suffragiis occultis renunciant principem vnum videlicet ex quatuor, quos eis populus nominauit. Nam à quaq; vrbis quarta parte, selectus vnus commẽdatur senatui. Principis magistratus perpetuus est in omnem illius vitam, nisi tyrannidis affectatæ suspicio impediat. Traniboros quotannis eligunt, cæterum haud temere commutant. Reliqui magistratus omnes annui. Tranibori tertio quoque die, interdum si res postulat, sæpius in consiliũ cum principe veniunt. De rep. consultant controuersias priuatorũ (si quę sunt) quę perquam paucæ sunt, mature dirimunt. Syphograntos semper in senatum duos adsciscunt, atq;

Mira ratio creandi magistratus.

Tyrannis inuisa bene institutæ reip.

Cito dirimendæ cõtrouersiæ, quas nunc data opera in immensum prorogãt.

omni die diuerſos, cautumque vt ne quid ratum ſit quod ad rempub. pertineat, de quo non tribus in ſenatu diebus ante agitatum, quàm decretum ſit. Extra ſenatum aut comitia publica, de rebus communibus inire conſilia, capitale habetur. Hæc eò ferunt inſtituta, ne procliue eſſet, coniuratione principis ac Tranihororum, oppreſſo per tyrannidem populo, ſtatum reipub. mutare. Aque ideo quicquid magni momenti iudicatur, ad Syphograntorum comitia defertur, qui cum ſuis familiis cõmunicata re, poſt inter ſe conſultant, ac ſuum conſilium renunciant ſenatui. Interdum ad totius inſulæ conſilium res defertur. Quin id quoq; moris habet ſenatus, vt nihil quo die primum proponitur, eodem diſputetur, ſed in ſequentem ſenatum

Nihil ſubito ſtatuendum.

Vtinã idẽ hodie fiat in noſtris conſiliis.

tum differatur, ne quis vbi quod in buccam primum venerit, temere effutierit, ea potius excogitet postea, quibus decreta tueatur sua, quam quæ ex reip. vsu sint. malitque salutis publicæ, quam opinionis de se iacturam facere, peruerso quodam ac præpostero pudore, ne initio parum prospexisse videatur. Cui prospiciendum initio fuit, vt consulto potius, quam cito loqueretur.

Hoc sibi volebat vetus prouerbium. ἐν νυκτὶ βουλή.

DE ARTIFICIIS.

Ars vna est omnibus viris mulieribusque promiscua agricultura, cui⁹ nemo est expers. Hac à pueritia erudiũtur omnes partim in schola traditis præceptis, partim in agros viciniores vrbi, quasi per ludum educti, non intuentes modo, sed per exercitandi corporis occasionem tractan-

Agricolatio cõmunis omnium, quam nunc in paucos cõtemptos reiicimus.

Artes ad necessitatem nõ ad luxum discendæ.

ctantes etiam. Præter agriculturam (quæ est omnib. vt dixi, communis) quilibet vnã quampiam, tanquam suam docetur, ea est fere aut lanificium, aut operandi lini studium, aut cementariorum, aut fabri, seu ferrarii, seu materiarii artificium. Neque enim aliud est opificium vllum, quod numerum aliquem dictu dignum occupet illic. Nam vestes, quarum, nisi quod habitu sexus discernitur, & cœlibatus à coniugio, vna per totam insulam forma est eademque per omne æuum perpetua, nec ad oculum indecora, & ad corporis motum habilis, tum ad frigoris æstusque rationem apposita. Eas inquam, quæque sibi familia conficit. Sed ex aliis illis atribus vnusquisque aliquam discit, nec viri modo, sed mulieres etiam. Cæterum hæ velut imbecil-

Cultus similitudo.

Nemo ciuium expers artificii.

becilliores leuiora tractant, lanam ferè linumque operantur, viris artes reliquæ magis laboriosæ mandantur. Maxima ex parte quisque in patriis artibus educatur. nam eò plerique natura feruntur, quod si quem animus aliò trahat, in eius opificii, cuius capitur studio, familiam quampiam adoptione traducitur. cura non à patre modo eius, sed magistratibus etiam præstita, vt graui atque honesto patrifamilias mancipetur. Quin si quis vnam perdoctus artem, aliam præterea cupiuerit, eodem modo permittitur. Vtramque nactus, vtram velit exercet, nisi alterutra ciuitas magis egeat. Syphograntorum præcipuum ac prope vnicum negocium est, curare ac prospicere, ne quisquam desideat ociosus, sed vti suæ quisque arti sedulo

Ad quam quisq; natura sit appositus, eã discat artem.

Ociosi pellendi è Republica

incum-

incumbat, nec ab summo mane tamen, ad multam vsque noctem perpetuo labore, velut iumenta, fatigatus. nam ea plusquam seruilis ærumna est, quæ tamen vbiq; ferè opificum vita est, exceptis Vtopiensibus, qui cum in horas vigintiquatuor æquales diem cõnumerata nocte diuidant, sex dũtaxat operi deputant, tres ante meridiem, à quibus prandium ineunt, atq; à prãdio duas pomeridianas horas, quum interquieuerint, tres deinde rursus labori datas, cœna claudunt. Quum primam horã ab meridie numerẽt: sub octauam cubitum eunt. horas octo somnus vendicat. Quicquid inter operis horas ac somni cibique medium esset, id suo cuiusque arbitrio permittitur, non quo per luxum aut segnitiem abutatur, sed quod ab opificio suo libe-

Moderãdus opificũ labor.

liberum, ex animi sententia in aliud quippiam studii bene collocet. has intercapedines plerique impendunt literis. Solenne est enim publicas quotidie lectiones haberi antelucanis horis, quibus vt intersint, ii duntaxat adiguntur, qui ad literas nominatim selecti sunt. Cæterum ex omni ordine mares simul ac fœminæ multitudo maxima ad audiendas lectiones, alii alias, prout cuiusque fert natura, confluit. Hoc ipsum tempus tamen si quis arti suæ malit insumere quod multis vsu venit (quorum animus in nullius contemplatione disciplinæ consurgit) haud prohibetur, quin laudatur quoque vt vtilis reipublicę. Super cœnam tum vnam horam ludendo producunt, æstate in hortis, hyeme in aulis illis communibus, in quibus comedunt.

Studia literarum.

Lusus in cœnis.

Ibi

Ibi aut musicen exercent, aut se sermone recreant. Aleam atque id genus ineptos ac perniciosos ludos ne cognoscunt quidem, cęterum duos habent in vsu ludos, latrunculorum ludo non dissimiles. Alterum numerorum pugnã, in qua numerus numerum prædatur. Alterum in quo collata acie cum virtutibus vitia confligunt. Quo in ludo perquam scite ostenditur & vitiorum inter se dissidium, & aduersus virtutes cõcordia. item quæ vitia quibus se virtutib. opponant, quibus viribus aperte oppugnent, quib. machinamentis ab obliquo adoriantur, quo præsidio virtutes vitiorũ vires infringant, quib. artibus eorum conatus eludant, quibus denique modis alterutra pars victoriæ compos fiat. Sed hoc loco ne quid erretis, quiddam pressius in-

At nunc alea principum lusus est.

Lusus vtiles quoq;

tuendum eſt. Etenim quod ſex duntaxat horas in opere ſunt, fieri fortaſſe poteſt, vt inopiam aliquam putes neceſſariarum rerũ ſequi. Quod tam longe abeſt vt accidat, vt id temporis ad omnium rerum copiam, quæ quidem ad vitæ vel neceſſitatem requirãtur, vel commoditatem non ſufficiat modo, ſed ſuperſit etiam, id quod vos quoq; intelligetis, ſi vobiſcum reputetis, apud alias gentes quàm magna populi pars iners degit. Primum mulieres ferè omnes totius ſummæ dimidium, aut ſicubi mulieres negocioſæ ſunt, ibi vt plurimum, earum vice viri ſtertunt. Ad hæc ſacerdotum ac religioſorũ, quos vocant, quãta quamq; ocioſa turba? Adiice diuites omnes maxime prædiorum dominos, quos vulgo generoſos appellant, ac nobiles.

Ocioſorũ hominum genera.

δορυφόρημα nobilium.

his

his adnumera ipſorum famulitium, totam videlicet illam cetratorum nebulonum colluuiem. robuſtos deniq; ac valentes mendicos adiunge, morbum quempiam prætexentes inertiæ: multo certe pauciores eſſe, quàm putaras, inuenies eos, quorum labore conſtant hæc omnia, quib. mortales vtuntur. Expende nunc tecum, ex his ipſis quàm pauci in neceſſariis opificiis verſantur. Siquidem vbi omnia pecuniis metimur, multas artes neceſſe eſt exerceri inanes prorſus ac ſuperfluas, luxus tantum ac libidinis miniſtras. Nam hæc ipſa multitudo quę nũc operatur, ſi partiretur in tam paucas artes, quàm paucas commodus naturæ vſus poſtulat, in tanta rerum abundantia, quantam nunc eſſe neceſſe ſit, precia nimirum viliora forent,

Prudẽtiſſime dictum.

quàm vt artifices inde vitam tueri ſuam poſſent. At ſi iſti omnes, quos nunc inertes artes diſtringunt, ac tota inſuper ócio ac deſidia langueſcens turba: quorum vnus quiuis earum rerum, quæ aliorum laboribus ſuppeditantur, quantum duo earundem operatores, conſumit: in opera vniuerſi atq; eadem vtilia collocarentur, facile animaduertis, quantulum temporis ad ſuppeditāda omnia, quæ vel neceſſitatis ratio, vel cōmoditatis efflagitet (adde voluptatis etiam, quæ quidem vera ſit ac naturalis) abunde ſatis ſuperq́; foret. atq; id ipſum in Vtopia res ipſa perſpicuum facit. Nam illic in tota vrbe cum adiacente vicinia vix homines quingenti ex omni virorū ac mulierū numero, quorum ætas ac robur operi ſufficit, vacatio permittitur. In his

Sypho-

Syphogranti (quanquã leges eos labore soluerunt) ipsi tamen sese non eximunt, quo facilius exemplo suo reliquos ad labores inuitent. Eadem immunitate gaudẽt hi, quibus commendatione sacerdotum persuasus populus occultis Syphogrãtorum suffragiis ad perdiscendas disciplinas perpetuam vacationem indulget. Quorum si quis conceptam de se spem fefellerit: ad opifices retruditur, contraq; non rarenter vsu venit, vt mechanicus quispiam, subcisiuas illas horas tam gnauiter impendat literis, tantum diligentia proficiat, vt opificio suo exemptus, in literatorum classem prouehatur. Ex hoc literatorum ordine legati, sacerdotes, Tranibori, ac ipse deniq; deligitur princeps, quem illi prisca ipsorum lingua Barzanem, recentiore Ademum

Ne magistratus quidẽ ab opere cessant.

Soli literati ad magistratus vocãtur.

mum appellant. Reliqua ferè multitudo omnis, quum neque ociosa sit, nec inutilibus opificiis occupata, procliuis æstimatio est, quàm paucæ horæ quantum boni operis pariant ad ea quæ commemoraui, hoc præterea facilitatis accedit, quod in necessariis plerisque artibus minore opera quàm aliæ gentes opus habent. Nam primum ædificiorum aut structura aut refectio ideo tam multorum assiduam vbique requirit operam, quod quæ pater ædificauit, hæres parũ frugi paulatim dilabi sinit, ita quod minimo tueri potuit: successor eius de integro impendio magno cogitur instaurare. quin frequenter etiam quæ domus alii ingenti sumptu stetit, hanc alius delicato animo contemnit, eaq; neglecta: atq; ideo breui collapsa, aliam

Quomodo vitentur impẽsæ in ædificiis.

alibi

alibi impensis non minorib. extruit. At apud Vtopienses compositis rebus omnibus, & constituta Repub. rarissime accidit, vti noua collocandis ędibus area deligatur, & non modo remedium celeriter præsentibus vitiis adhibetur, sed etiam imminentibus occurritur. Ita fit, vt minimo labore diutissime perdurent ædificia, & id genus opifices, vix habeant interdum quod agant, nisi quod materiam dolare domi, & lapides interim quadrare atq; aptare iubentur, quo (si quod opus incidat) maturius possit exurgere. Iam in vestibus vide, quā paucis operis egeant: primum dum in opere sunt, corio neglectim aut pellib. amiciuntur, quæ in septennium durent. quum procedunt in publicum, superinduunt chlamydem vestē, quæ rudiores

Quomodo in amictu.

illas vestes contegat, eius per totam insulam vnus color est, atq; is natiuus. Itaque lanei panni non modo multo minus quæ vsquam alibi sufficit, verum is ipse quoq; multo minoris impẽdii est. at lini minor est labor, eoq; vsus crebrior, sed in lineo solus candor, in laneo sola mundicies conspicitur, nullũ tenuioris fili p̄ciũ est. Itaq; fit, vt quũ alibi nusquã vni homini quatuor aut quinq; togæ laneæ diuersis coloribus, ac totidẽ sericiæ tunicæ sufficiant, delicatioribus paulo ne decem quidem, ibi vna quisq; contentus est plerunque in biennium. Quippe nec causa est vlla cur plures affectet, quas consecutus, neque aduersus frigus esset munitior, neque vestitu videret' vel pilo cultior. Quamobrem quum & omnes vtilibus sese artibus exerceant, & ipsarum
etiam

etiam opera pauciora ſufficiant, fit nimirum, vt abundante rerum omnium copia, interdum in reficiendas (ſi quæ detritæ ſunt) vias publicas immenſam multitudinem educant, perſæpe etiam quũ nec talis cuiuſpiam operis vſus occurrat, pauciores horas operandi publice denuncient. Neq; enim ſuperuacaneo labore ciues inuitos exercẽt magiſtratus. quãdoquidem eius reipub. inſtitutio hunc vnum ſcopum in primis reſpicit, vt quoad per publicas neceſſitates licet, quam plurimum temporis ab ſeruitio corporis ad animi libertatem cultumque ciuibus vniuerſis aſſeratur, In eo enim ſitam vitæ felicitatem putant.

DE COMMERCIIS *mutuis*.

SEd iam quo pacto sese mutuo ciues vtantur, quæ populi inter se commercia, quæque sit distribuendarum rerum forma, videtur explicandum. Quum igitur ex familiis constet ciuitas, familias vt plurimum cognationes efficiunt. Nam fœminæ (vbi maturuerint) collocatæ maritis, in ipsorum domicilia concedunt. At masculi filii, ac deinceps nepotes, in familia permanẽt, & parentum antiquissimo parent, nisi præ senecta mente parum valuerit. tunc enim ætate proximus ei sufficitur. Verum ne ciuitas aut fieri infrequentior, aut vltra modum possit increscere, cauetur ne vlla familia, quarũ millia sex quæque ciuitas, excepto cõuentu, cõplectitur, pauciores q̃ decẽ, plu-

Numerus ciuium.

resve

resve quã ſexdecim puberes habeat. Impuberum enim nullus præfiniri numer⁹ poteſt. Hic modus facile ſeruatur, transſcriptis his in rariores familias, qui in plenioribus excreſcunt. At ſi quando in totum plus iuſto abundauerit, aliarum vrbiũ ſuarum infrequentiam ſarciunt. Quod ſi forte per totam inſulam plus æquo moles intumuerit, tum ex qualibet vrbe deſcriptis ciuibus in continente proximo, vbicunque indigenis agri multum ſupereſt & cultu vacat, coloniam ſuis ipſorum legib. propagant, aſcitis vnà terræ indigenis, ſi conuiuere ſecum velint. Cum volentibus coniuncti in idẽ vitæ inſtitutum eoſdemq; mores, facile coaleſcunt, idq́; vtriuſque populi bono. Efficiunt enim ſuis inſtitutis, vt ea terra vtriſque abunda ſit, quæ alteris aut parca

ac maligna videbatur. Renuentes ipsorum legibus viuere, propellunt his finibus, quos sibi ipsi describunt. Aduersus repugnantes bello confligunt. nam eam iustissimam belli causam ducunt, quum populus quispiam eius soli, quo non ipse vtitur, sed velut inane ac vacuum possidet, aliis tamen qui ex naturæ præscripto inde nutriri debeant, vsum ac possessionem interdicat. Si quando vllas ex suis vrbibus aliquis casus eousq; imminuerit, vt ex aliis insulæ partibus, seruato suo cuiusq; vrbis modo, resarciri non possint (quod bis duntaxat ab omni æuo, pestis grassante sæuitia, fertur contigisse) remigrantibus è colonia ciuibus replentur. Perire enim colonias potius patiuntur, quàm vllam ex insulanis vrbibus imminui. Sed ad conui-

ctum ciuium reuertor. Antiquissimus (vt dixi) præest familiæ. Ministri sunt vxores maritis, & liberi parentibus, atque in summa minores natu maioribus. Ciuitas omnis in quatuor æquales partes diuiditur. In medio cuiusq; partis forum est omnium rerum. Eò in certas domos opera cuiusq; familiæ conuehuntur, atq; in horrea singulę seorsum species distributæ sunt. Ab his quilibet paterfamilias quibus ipse suique opus habent, petit, ac sine pecunia, sine omni prorsus hostimēto quicquid petierit, aufert. Quare enim negetur quicquam? quum & omnium rerum abunde satis sit, nec timor vllus subsit, ne quisquā plus quam sit opus, flagitare velit? Nam cur superuacua petiturus putetur is, qui certum habeat, nihil sibi vnquam defuturum?

Sic excludi potest ociosa turba ministrorū.

Rapacitas unde. Nempe auidum ac rapacem aut timor carendi facit in omni animantum genere, aut in homine sola reddit superbia, quæ gloriæ sibi ducit, superflua rerũ ostentatione cæteros antecellere, quod vitii genus in Vtopiensium institutis nullum omnino locum habet. Adiuncta sunt foris (quæ cõmemoraui) fora cibaria, in quæ non olera modo, arborumq; fructus & panes comportantur, sed pisces præterea quadrupedumq; & auium quicquid esculentum est, extra vrbẽ locis appositis, vbi *Tabes ac sordes pestem inuehit ciuitatibus.* fluento tabum ac sordes eluantur. Hinc dêportant pecudes occisas, depuratasq; manibus famu- *Ex pecudum laniena didicimus, & homines iugulare.* lorũ (nam neq; suos ciues patiuntur assuescere laniatu animaliũ, cuius vsu clementiã, humanissimum naturæ nostræ affectum, paulatim deperire putant, neque sor-

ſordidum quicquã atq; immundum, cuius putredine corruptus aêr morbũ poſſet inuehere) perferri in vrbem ſinũnt. Habet præterea quilibet vicus aulas quaſdã capaces, æquali ab ſeſe inuicem interuallo diſtãtes, nomine quãque ſuo cognitas. Has colunt Syphogranti, quarum vnicuiq; triginta familiæ, videlicet ab vtroq; latere quindecim ſunt adſcriptæ, cibum ibi ſumpturæ. Obſonatores cuiuſque aulæ certa hora conueniunt in forum, ac relato ſuorum numero cibum petunt. Sed prima ratio ægrotorum habetur, qui in publicis hoſpitiis curãtur. Nam quatuor habent in ambitu ciuitatis hoſpitia paulo extra muros, tam capacia, vt totidẽ oppidulis æquari poſſint, tum vt neque ægrotorũ numerus quamlibet magnꝰ anguſte collocaretur, & per

Cura ægrotorum.

& per hoc incommode: tum quo hi qui tali morbo tenerentur, cuius contagio solet ab alio ad alium serpere, longius ab aliorum cœtu semoueri possint. Hæc hospitia ita sunt instructa, atque omnibus rebus quæ ad salutem conferant referta, tum tam tenera ac sedula cura adhibetur, tam assidua medicorum peritissimorum præsentia, vt quum illuc nemo mittatur inuitus, nemo tamē ferè in tota vrbe sit, qui aduersa valetudine laborans, non ibi decumbere quàm domi suæ præferat. Quum ægrotorum obsonator cibos ex medicorum præscripto receperit, deinceps optima quæq; inter aulas æquabiliter pro suo cuiusq; numero distribuūtur, nisi q̄ principis, pontificis, & Traniborum respectus habetur, ac legatorum etiam, & exterorum

Conuiuia cōmunia, promiscuaque.

omni-

omnium (ſi qui ſunt, qui pauci ac raro ſunt) ſed his quoq; cum adſunt, domicilia certa atq; inſtructa parantur. Ad has aulas prandii cœnæq; ſtatis horis tota Syphograntia conuenit, æneæ tubæ clãgore commonefacta, niſi qui aut in hoſpitiis, aut domi decumbũt. quanquã nemo prohibetur, poſtquam aulis eſt ſatis factum, è foro domum cibum petere. ſciunt enim neminem id temere facere. Nam & ſi domi prãdere nulli vetitum ſit, nemo tamen hoc libenter facit, cum neq; honeſtum habeatur, & ſtultum ſit deterioris parandi prandii ſumere laborem, cum lautum atque opiparum præſto apud aulam tam propinquam ſit. In hac aula miniſteria omnia, in quibus paulo plus ſordis aut laboris eſt, obeunt ſerui.

Vt vbiq; libertatis habetur ratio, ne quid fiat à coactis.

Fœminæ ministræ in conuiuiis.

ſerui. Cæterum coquendi parandique cibi officium, & totius denique inſtruendi conuiuii ſolæ mulieres exercent, cuiuſque videlicet familiæ per vices. Tribus pluribusve menſis pro numero conuiuarum diſcumbitur. Viri ad parietem, fœminæ exterius collocantur, vt ſi quid his ſubiti oboriatur mali, quod vterum gerentibus interdum ſolet accidere, imperturbatis ordinib. exurgant, atque inde ad nutrices abeant. Sedent illæ quidem ſeorſum cum lactentibus in cœnaculo quodam, ad id deſtinato, nunquam ſine foco atque aqua munda, nec abſque cunis interim, vt & declinare liceat infantulos, & ad ignem cum velint exemptos faſciis liberare, ac ludo reficere. Suæ quæq; ſoboli nutrix eſt, niſi aut mors aut morbus impediat.

id cum

id cũ accidit, vxores Syphograntorũ propere nutricẽ q̃runt, nec id difficile eſt. Nam q̃ id præſtare poſſunt, nulli officio ſeſe offerunt libẽtius, quoniam & omnes eam miſericordiam laude proſequuntur, & qui educatur, nutricem parentis agnoſcit loco. In antro nutricũ conſidunt pueri omnes, qui primum luſtrum non expleuere. cæteri impuberes, quo in numero ducunt quicunq; ſexus alteri⁹ vtrius intra nubiles annos ſunt, aut miniſtrant diſcumbentibus, aut qui per ætatem nondum valent, adſtant tamen, atq; id ſummo cum ſilentio. vtrique, quod à ſedentibus porrigitur, eo veſcuntur, nec aliud diſcretum prandendi tempus habent. In medio primæ menſæ (qui ſummus locus eſt) & cui (nam ea menſa ſuprema in parte cœnaculi tranſuerſa

Laude & officio ciues optime inuitantur ad recte agẽdum.

Educatio ſobolis.

uersa est) totus conuentus conspicitur, Syphograntus cum vxore considet. His adiunguntur duo ex natu maximis. Sedent enim per omnes mensas quaterni. At si templum in ea Syphograntia situm est, sacerdos eiusque vxor cum Syphogranto sedent, vt præsideant. Ab vtraque parte collocantur iuniores, post senes rursus atque hoc pacto per totam domum & æquales inter se iunguntur, & dissimilibus tamen immiscentur, quod ideo ferunt institutum, vt senum grauitas ac reuerentia (quum nihil ita in mensa fieri dicive potest, vt eos ab omni parte vicinos effugiat) iuniores ab improba verborum gestuumque licẽtia cohibeat. Ciborum fercula non à primo loco deinceps apponũtur, sed senioribus primum omnibus (quorum insignes loci

Sacerdos supra principem, At nunc etiã & Episcopi iis mancipiorum vice sunt.

Iuniores maioribus admixti.

Senũ habita ratio.

sunt)

ſunt) optimus quiſque cibus infertur, deinde reliquis æqualiter miniſtratur. At ſenes lautitias ſuas (quarum non tanta erat copia, vt poſſet totam per domum aſtatim diſtribui) pro ſuo arbitratu circumſedentibus impartiuntur. Sic & maioribus natu ſuus ſeruatur honos, & commodi tantundem tamen ad omneis peruenit. Omne prandium cœnamque ab aliqua lectione auſpicantur, quæ ad mores faciat, ſed breui tamen, ne faſtidio ſit. Ab hac ſeniores honeſtos ſermones, ſed neq; triſtes ac infacetos ingerunt. At nec longis logis totum occupāt prandium, quin audiunt libenter iuuenes quoque, atque adeo de induſtria prouocant, quo & indolis cuiuſque & ingeni per cōuiuii libertatem prodentis ſeſe, capiant experimentum. Prandia breui-

Id hodie vix monachi obſeruant.

Sermones in conuiuiis.

uſcu-

Id hodie medici damnant.

uſcula ſunt, cœnæ largiores, quod labor illa, has ſomnus & nocturna quies excipit, quam illi ad ſalubrem concoctionem magis efficacem putant.

Muſica in conuiuio.

Nulla cœna ſine muſica tranſigitur. nec vllis caret ſecunda menſa bellariis. odores incendunt, & vnguenta ſpargũt. nihilq; non faciunt, quod exhilarare conuiuas poſſit. ſunt enim hancin partem aliquanto procliuiores,

Voluptas innoxia nõ aſpernanda.

vt nullum voluptatis genus (ex quo nihil ſequatur incõmodi) cẽſeant interdictum. Hoc pacto igitur in vrbe conuiuũt, at ruri qui longius ab ſeſe diſſiti ſunt, omnes domi quiſque ſuæ comedunt, nulli enim familiæ quicquam ad victum deeſt, quippe à quibus id totum venit, quo veſcantur vrbici.

DE PEREGRINATIONE Vtopiensium.

AT si quos aut amicorum alia in vrbe commorantium, aut ipsius etiam videndi loci desiderium cœperit, à Syphograntis ac Traniboris suis veniã facile impetrant, nisi si quis vsus impediat. Mittitur ergo simul numerus aliquis cum epistola principis, quæ & datam peregrinandi copiam testatur, & reditus diem præscribit. Vehiculum datur cum seruo publico, qui agat boues & curet. cæterum nisi mulieres in cœtu habeant, vehiculum velut onus & impedimentum remittitur. Toto itinere cum nihil secum efferant, nihil desit tamen, vbiq; enim domi sũt. Si quo in loco diutius vno die commorentur, suam ibi quisq; artem exercet, atque ab artis eiusdem opificibus humanissime

niſſime tractantur. Si ſemet autore quiſquam extra ſuos fines vagetur, deprehenſus ſine principis diplomate contumelioſe habitus, pro fugitiuo reducitur, caſtigatus acriter. idem auſus denuo, ſeruitute plectitur. Quod ſi quem libido inceſſat per ſuæ ciuitatis agros balandi, venia patris & conſentiente coniuge, nō prohibetur. Sed in quodcunq; rus ꝑuenerit, nullꝰ ante cibus datur, q̃ ante meridianū operis penſū (aut quantū ante cœnā ibi laborari ſolet) abſoluerit. Hac lege quouis intra ſuæ vrbis fines ire licet. Erit enim non minus vtilis vrbi, quam ſi in vrbe eſſet. Iam videtis quam nulla ſit vſquam ociandi licentia, nullus inertiæ prætextus, nulla taberna vinaria, nulla ceruiſiaria, nuſquam lupanar, nulla corruptelæ occaſio, nullæ latebræ, con-

cilia-

ciliabulum nullum, sed omnium præsentes oculi necessitatem aut consueti laboris, aut ocii non inhonesti faciunt: Quem populi morem necesse est omnium rerum copiam sequi. atq; ea quum æquabiliter ad omnes perueniat, fit nimirum, vt inops esse nemo aut mendicus possit. In senatu Amaurotico (quem vti dixi terni quotannis omni ex vrbe frequẽtant) vbi primum constiterit, quæ res quoque loco abundet, rursum cuius alicubi malignior prouentus fuerit, alterius inopiam, alterius protinus vbertas explet, atque id gratuito faciunt, nihil vicissim ab his recipientes quibus donant. Sed quæ de suis rebus vnicuipiam vrbi dederint, nihil ab ea repetentes: ab alia, cui nihil impenderunt, quibus egent, accipiunt. Ita tota insula velut vna

O sanctã rempublicã, & vel Christianis imitãdam.

Æquabilitas facit, vt omnibus sufficiat.

H fami-

Respublica nihil aliud quã magna quædam familia est.

familia est. At postquã satis prouisum ipsis est (quod non antea factum censent, quàm in biennium propter anni sequentis euentum prospexerint) tũ ex his quæ supersunt, magnam vim frumenti, mellis, lanæ, lini, ligni, cocci, & conchyliorum, vellerum, ceræ, seui, corii, ad hæc animaliũ quoque in alias regiones exportant.

Negociatio Vtopiensium.

quarum rerum omnium septimã partem inopibus eius regionis dono dant, reliquam precio mediocri venditãt. quo ex commercio non eas modo merces, quibus domi egent (nam id ferè nihil est præter ferrum) sed argenti atq; auri præterea magnam vim in patriam reportant. Cuius rei diutina cõsuetudine, supra quàm credi possit, vbique iam earum rerũ copia abundant. Itaq; nunc parum pensi habent, præsente ne

pecu-

pecunia an in diem vendãt, multoque maximam partem habeant in nominibus, in quibus tamẽ faciendis nõ priuatorum vnquã, sed confectis ex more instrumẽtis, publicam vrbis fidem sequuntur. Ciuitas vbi solutionis dies aduenerit, à priuatis debitoribus exigit creditum, atq; in ærarium redigit, eiusq; pecuniæ, quoad ab Vtopiensib. repetatur, vsura fruitur. Illi maximam partem nunquam repetunt. Nam quæ res apud se nullum habet vsum, eam ab his auferre quib. vsui est, haud æquum censent. Cæterum si res ita poscat, vt eius aliquam partem alii populo mutuam daturi sint, tum demum poscunt: aut quum bellum gerendum est, quam in rem vnam totum illum thesaurum, quem habent, domi seruãt, vti aut extremis in periculis,

Vt nusquam non meminerunt suæ communitatis.

Qua ratione possit esse vilis pecunia.

Satius est bellum pecunia aut arte declinare, quã multã sanguinis humani iactura gerere.

aut in subitis præsidio sit. potissimum quo milites externos (quos libentius quam suos ciues obiiciunt discrimini) immodico stipendio conducant, gnari multitudine pecuniæ hostes ipsos plerunq; mercabiles, & vel proditione vel infestis etiam signis inter se committi. Hanc ob causam inæstimabilem thesaurum seruant, at non vt thesaurum tamen, sed ita habent, quomodo me narrare profecto deterret pudor, metuẽtem ne fidem oratio non sit habitura, quod eo iustius vereor, quo magis mihi sum conscius, nisi vidissem præsens, quam ægre potuissem ipse perduci, vt alteri idem recensenti crederem. Necesse est enim fere quam quicque est ab eorum qui audiunt moribus alienum, tam idem procul illis abesse à fide quanquam prudens rerum æstimator

O artificem.

mator minus fortaſſe mirabitur quum reliqua eorum inſtituta tam longe ab noſtris differant: ſi argenti quoque atque auri vſus ad ipſorum potius, quam ad noſtri moris rationem accõmodetur. Nempe quum pecunia non vtantur ipſi, ſed in eum ſeruent euentum, qui vt poteſt vſu venire, ita fieri poteſt vt nunquam incidat. Interim aurum argentumq; (vnde ea fit) ſic apud ſe habent, vt ab nullo pluris æſtimetur, quam rerum ipſarum natura meretur, qua quis non videt quam longe infra ferrum ſunt? vt ſine quo non hercule magis quam abſque igni atque aqua viuere mortales queant, quum interim auro argentoque nullum vſum, quo non facile careamus, natura tribuerit, niſi hominum ſtultitia precium raritati feciſſet. quin contra, velut pa-

Aurũ ferro vilius quantum ad vſum attinet.

rens indulgẽtiſſima optima quæque in propatulo poſuerit, vt aërem, aquam, ac tellurem ipſam, longiſſime vero vana ac nihil profutura ſemouerit. Ergo hæc metalla ſi apud eos in turrim aliquam abſtruderentur, princeps ac ſenatus in ſuſpicionem venire poſſet (vt eſt vulgi ſtulta ſolertia) ne deluſo per technam populo, ipſi aliquo inde commodo fruerentur. porrò ſi phyalas inde, aliaque id genus opera fabre excuſa conficerent, ſi quando incidiſſet occaſio, vt conflanda ſint rurſus, atq; in militum eroganda ſtipendiũ, vident nimirũ fore, vt ægre patiantur auelli, quæ ſemel in deliciis habere cœpiſſent. His reb. vti occurrant, excogitauere quãdam rationẽ, vt reliquis ipſorum inſtitutis conſentaneam, ita ab noſtris (apud quos aurum tanti fit,

ti fit,ac tam diligenter conditur) longiſſime abhorrentē, eoq; niſi peritis non credibilem. Nam quū in fictilibus è terra vitroq; elegãtiſſimis quidem illis, ſed vilibus tamen edant bibantque. ex auro atque argento non in communibus aulis modo, ſed in priuatis etiam domibus matellas paſſim, ac ſordidiſſima quæq; vaſa conficiunt. Ad hæc catenas & craſſas compedes, quibus coërcent ſeruos, iiſdem ex metallis operantur. Poſtremo quoſcunq; aliquod crimen infames facit, ab horum aurib. anuli dependent aurei, digitos aurũ cingit, aurea torques ambit collũ, & caput deniq; auro vincitur. Ita omnib. curãt modis, vti apud ſe aurum argentumq; in ignominia ſint, atq; hoc pacto fit, vt hæc metalla, q̃ cæteræ gentes non minus ferè dolẽter ac viſcera

O magnificam auri contumeliam.

Aurũ geſtamẽ infamium.

ſua diſtrahi patiuntur, apud Vtopienſes, ſi ſemel omnia res poſtularet efferri, nemo ſibi iacturam vnius feciſſe aſſis videretur. Margaritas præterea legunt in littoribus, quin in rupibus quibuſdam adamantes ac pyropos quoque, neque tamen quærunt, ſed oblatos caſu perpoliunt. His ornant infantulos, qui vt primis pueritiæ annis, talibus ornamentis gloriantur ac ſuperbiunt, ſic vbi pluſculum accreuit ætatis, cum animaduertunt eiuſmodi nugis non niſi pueros vti, nullo parentum monitu, ſed ſuomet ipſorum pudore deponunt. non aliter ac noſtri pueri, quum grandeſcunt nuces, bullas, & pupas abiiciũt. Itaq; hæc tam diuerſa ab reliquis gentibus inſtituta, quam diuerſas itidem animorum affectiones pariat, nunquam æque mihi atque

Gemmæ puerorum delitiæ.

in A-

in Anemoliorum legatis inclaruit. Venerunt hi Amarotum (dum ego aderam) & quoniam magnis de rebus tractatum veniebant, aduentum eorum terni illi ciues ex qualibet vrbe præuenerant, ſed omnes finitimarum gentium legati, qui eo ante appulerant, quibus Vtopienſium perſpecti mores erant, apud quos ſumptuoſo veſtitui nihil honoris haberi intelligebant, ſericum contemptui eſſe, aurum etiam infame ſciebant, cultu quam poterant modeſtiſſimo venire conſueuerant. At Anemolii, quod longius aberant, ac minus cum illis commercii habuerant, quum accepiſſent eodem omnes, eoque rudi corporis cultu eſſe, perſuaſi non habere eos, quo non vtebantur, ipſi etiam ſuperbi magis, quã ſapientes, decreuerunt apparatus

Elegantiſſima fabula.

elegantia deos quosdam repræsentare, & miserorum oculos Vtopiensium, ornatus sui splēdore præstringere. Itaque ingressi sunt legati tres cum comitibus centum, omnes vestitu versicolori, pleriq; serico, legati ipsi (nam domi nobiles erant) amictu aureo, magnis torquib. & inauribus aureis, ad hæc anulis aureis in manibus, monilibus insuper appensis in pileo, quæ margaritis ac gemmis affulgebant, omnibus postremo rebus ornati, quæ apud Vtopienses aut seruorum supplicia, aut infamium dedecora, aut puerorum nugamenta fuere. Itaq; operæprecium erat videre, quo pacto cristas erexerint, vbi suum ornatum cum Vtopiensium vestitu (nam in plateis sese populus effuderat) contulere. contraq; non minus erat voluptatis, cōsiderare

quàm longe ſua eos ſpes expecta-
tioq; fefellerat, quamq; longe ab
ea exiſtimatione aberant, quã ſe
cõſecuturos putauerant. Nempe
Vtopienſiũ oculis omnium, ex-
ceptis perquã paucis, qui alias gẽ-
tes aliqua idonea de cauſa inuiſe-
rant, totus ille ſplẽdor apparatus
pudendus videbatur, & infimum
quenq; pro dominis reuerenter
ſalutantes, legatos ipſos ex aurea-
rum vſu catenarum pro ſeruis ha-
bitos, ſine vllo prorſus honore
prætermiſerunt. Quin pueros
quoque vidiſſes, qui gemmas ac
margaritas abiecerant, vbi in le-
gatorum pileis affixas conſpexe-
runt, compellare matrem ac
latus fodere. En mater, quàm
magnus nebulo margaritis ad-
huc & gemmulis vtitur, ac ſi eſ-
ſet paruulus? At parens ſerio et-
iam illa, tace inquit fili, eſt opinor

quiſpiam è Morionibus legatorum. Alii catenas illas aureas reprehendere, vtpote nullius vſus, quippe tam graciles, vt eas facile ſeruus infringere, tam laxas rurſus, vti quum fuerit libitum, poſſit excutere, & ſolutus ac liber quouis aufugere. Verum legati poſtquam ibi vnum atque alterum diem verſati, tantam auri vim in tanta vilitate conſpexerunt, nec in minore contumelia, quam apud ſe honore habitam vidiſſent, ad hęc in vnius fugitiui ſerui catenas compedeſque plus auri atque argenti congeſtum, quam totus ipſorum trium apparatus conſtiterat, ſubſidentibus pennis omnẽ illum cultum, quo ſeſe tam arrogãter extulerant pudefacti, ſepoſuerunt. Maxime vero poſtquam familiarius cum Vtopienſibus collocuti, mores eorum atque opi-

opiniones didicere, mirantur illi siquidem quenquam esse mortalium, quem exiguę gemmulæ aut lapilli dubius oblectet fulgor, cui quidem stellam aliquam, atque ipsum denique solem liceat intueri, aut quenquam tam insanum esse, vt nobilior ipse sibi ob tenuioris lanæ filum videatur, siquidem hanc ipsam (quantumuis tenui filo sit) ouis olim gestauit, nec aliud tamen interim quã ouis fuit. Mirantur item aurum suapte natura tam inutile, nunc vbique gentium æstimari tanti, vt homo ipse, per quem atque adeo in cuius vsum id precii obtinuit, minoris multo quam aurum ipsum æstimetur, vsque adeo, vt plumbeus quispiam, & cui non plus ingenii sit quam stipiti, nec minus etiam improbus quã stultus, multos tamen & sapientes, & bonos viros

Dubius dixit, ob gemmas factitias, aut certe dubiũ dixit exiguũ ac malignum.

Quam vere & quã apte.

in seruitute habeat, ob id duntaxat, quod ei magnus contigit aureorum numismatum cumulus, quem si qua fortuna, aut aliqua legum stropha (quæ nihil minus ac fortuna ipsa summis ima permiscet) ab hero illo, ad abiectissimum totius familiæ suæ nebulonem trãstulerit, fit nimirum paulo post, vt in famuli sui famuliciũ cõcedat, velut appendix additamentumq; numismatum. Cæterũ multo magis eorum mirantur ac detestantur insaniam, qui diuitibus illis, quibus neq; debent quicquam, neque sunt obnoxii, nullo alio respectu, quàm quod diuites sunt, honores tantum nõ diuinos impendunt, idque cum eos tam sordidos atque auaros cognoscunt, vt habeãt certo certius ex tanto nummorũ cumulo, viuentib. illis, ne vnum quidem

Quanto plus sapiunt Vtopiani quã Christianoru vulgus.

num-

nummulum vnquam ad ſe venturum. Has atq; huiuſmodi opiniones partim ex educatione cõceperunt. in ea educti Rep. cuius inſtituta longiſſime ab his ſtultitiæ generibus abſunt, partim ex doctrina & literis. Nam & ſi haud multi cuiuſq; vrbis ſunt, qui cæteris exonerati laboribus ſoli diſciplinæ deputantur. hi videlicet in quibus à pueritia egregiam indolem, eximium ingenium, atq; animum ad bonas artes propenſum deprehendere, tamẽ omnes pueri literis imbuuntur, & populi bona pars, viri fœminæque, per totam vitam horas illas quas ab operibus liberas eſſe diximus, in literis collocãt. Diſciplinas ipſorum lingua perdiſcunt. eſt enim neq; verborum inops, nec inſuauis auditu, nec vlla fidelior animi interpres eſt. eadẽ ferè (niſi quod vbiq;

Studia & diſciplinæ Vtopienſium.

vbique corruptior, alibi aliter) magnam eius orbis plagam peruagatur. Ex omnibus his philosophis, quorum nomina sunt in hoc noto nobis orbe celebria, ante nostrum aduentum ne fama quidem cuiusquam eo peruenerat, & tamen in musica dialecticaque, ac numerandi & metiendi scientia, eadem fere, quæ nostri illi veteres inuenere. Cæterum vt antiquos omnibus prope rebus exæquant, ita nuperorum inuentis dialecticorum longe sunt impares. Nam ne vllam quidem regulam inuenerunt earum, quas de restrictionibus, amplificationibus, ac suppositionibus acutissime excogitatis in paruis logicalibus, passim hic ediscunt pueri. Porro secundas intentiones tam longe abest vt inuestigare suffecerint, vt nec hominem ipsum in com-

Musica. Dialectica Arithmetica.

Apparet hoc loco subesse nasum.

communi quem vocant, quanquam (vt ſcitis) plane coloſſeum & quouis Gigante maiorem, tum à nobis præterea digito demonſtratum, nemo tamen eorum videre potuerit. At ſunt in aſtrorum curſu, & cœleſtium orbium motu peritiſſimi. Quin inſtrumenta quoque diuerſis figuris ſolerter excogitarunt, quibus ſolis ac lunæ, & cæterorum item aſtrorum, quæ in ipſorum horizonte viſuntur, motiones ac ſitus exactiſſime comprehenſos habent. Cæterum amicitias atque errantium diſſidia ſyderum, ac totam denique illam ex aſtris diuinandi impoſturam ne ſomniant quidem. Imbres, ventos, ac cæteras tempeſtatum viciſſitudines, ſignis quibuſdam longo perſpectis vſu præſentiunt. Sed de cauſis earum rerum omnium, & de fluxu maris

Aſtrologia.

At hi regnant inter Chriſtianos hodie.

Phyſica omnium incertiſſima.

maris eiusq; salsitate, & in summa de cœli mundiq; origine ac natura, partim eadẽ quæ veteres philosophi nostri disserunt, partim vt illi inter se dissident, ita hi quoque dum nouas rerũ rationes afferunt, ab omnibus illis dissentiunt, nec inter se tamẽ vsquequaq; cõueniunt. In ea philosophię parte, qua de moribus agitur, eadem illis disputantur, quę nobis de bonis animi quærunt & corporis, & externis, tum vtrum boni nomen omnibus his, an solis animi dotib. conueniat. De virtute disserunt, ac voluptate, sed omnium prima est ac princeps controuersia, qua nam in re vna pluribusve sitam hominis felicitatem putent. At hac in re propensiores æquo videntur in factionem voluptatis assertricem, vt qua vel totam, vel potissimam felicitatis humanæ

Ethica ordo bonorum.

Fines bonorum.

Vtopiani felicitatẽ honesta voluptate metiũtur.

stræ partem definiant. Et quo magis mireris, ab religione quoque (quæ grauis & seuera est, fereque tristis & rigida) petunt tamẽ sententiæ tam delicatæ patrocinium. Neque enim de felicitate disceptant vnquã, quin principia quędam ex religione deprompta, tũ philosophia, quæ rationibus vtitur, coniungant, sine quibus ad veræ felicitatis inuestigationem, mancam atque imbecillam per se rationem putant. Ea principia sunt huiusmodi. Animã esse immortalem, ac Dei beneficentia ad felicitatem natam, virtutibus ac benefactis nostris præmia post hanc vitã, flagitiis destinata supplicia. Hæc tãetsi religionis sint, ratione tamẽ cẽsent ad ea credẽda & concedẽda perduci, quib. è medio sublatis, sine vlla cũctatione ꝑnunciant neminẽ esse tã stupidum,

Principia philosophia è religione petenda. Theologia Vtopiensium.

Animorũ immortalitas, de qua hodie non pauci etiam

Christiani dubitant.

Vt nõ quæuis expetenda voluptas, ita nec dolor affectandus nisi virtutis causa.

pidum, qui non sentiat petendam sibi per fas ac nefas voluptatem. hoc tantum caueret, ne minor voluptas obstet maiori, aut eam persequatur, quam inuicem retaliet dolor. Nam virtutem asperam ac difficilem sequi, ac non abigere modo suauitatem vitæ, sed dolorem etiam sponte perpeti, cuius nullum expectes fructum (quis enim potest esse fructus si post mortem nihil assequeris, quum hanc vitam totam insuauiter, hoc est misere traduxeris) id vero dementissimum ferunt. Nunc vero non in omni voluptate felicitatem, sed in bona atque honesta sitam putant. Ad eam enim velut ad summum bonum, naturam nostram ab ipsa virtute pertrahi, cui sola aduersa factio felicitatem tribuit. Nempe virtutem definiũt secundum naturam

Hoc iuxta Stoicos.

turam

turam viuere. ad id ſiquidem à deo inſtitutos eſſe nos. Eum vero naturæ ductum ſequi, quiſquis in appetendis fugiendisq; rebus obtemperat rationi. Rationem porro mortales primum omnium in amorem ac venerationem diuinæ maieſtatis incendere, cui debemus & quod ſumus & quod compotes eſſe felicitatis poſſumus, ſecundum id commonet atque excitat nos, vt vitam quam licet minime anxiam ac maxime lætam ducamus ipſi cæterisque omnibus ad idem obtinendum adiutores nos pro naturæ ſocietate præbeamus. Neq; enim quiſquam vnquam fuit tam triſtis ac rigidus aſſecla virtutis & oſor voluptatis, qui ita labores, vigilias, & ſqualores indicat tibi, vt non idem aliorum inopiam atque incommoda leuare, te pro

tua

tua virili iubeat, & id laudandum humanitatis nomine censeat, hominem homini saluti ac solatio esse, si humanũ est, maxime (qua virtute nulla est homini magis propria) aliorum mitigare molestiam, & sublata tristitia vitæ iucunditati, hoc est, voluptati reddere. Quid ni natura quenque instiget, vt sibimet idem præstet? Nam aut mala est vita iucunda, id est, voluptaria, quod si est, non solum neminem ad eam debes adiutare, sed omnibus vtpote noxiam ac mortiferam, quantum potes adimere, aut si conciliare aliis eam, vt bonam, non licet modo, sed etiam debes, cur non tibi in primis ipsi? cui non minus propitium esse te, quàm aliis decet. Neq; enim quum te natura moneat, vti in alios bonus sis, eadem te rursus iubet, in temet sæuum

At nunc quidam accersunt dolores, velut in his sita sit religio, cũ ferẽdi potius sint si incidant ad pietatis officiũ tendenti, aut naturæ necessitate accidant.

atq;

atq; inclementem esse. Vitam ergo iucundam inquiunt, id est, voluptatem, tãquam operationum omnium finem, ipsa nobis natura præscribit, ex cuius præscripto viuere, virtutem definiunt. At quũ natura mortales inuitet ad hilarioris vitæ mutuum subsidium (quod certe merito facit. neque enim tã supra generis humani sortẽ quisquam est, vt solus naturæ curæ sit, quæ vniuersos ex æquo fouet, quos eiusdem formæ cõmunione complectitur) eadem te nimirum iubet etiam atque etiam obseruare, ne sic tuis commodis obsecundes, vt aliorum procures incõmoda. Seruanda igitur censent non inita solũ inter priuatos pacta, sed publicas etiam leges, quas aut bonus princeps iuste promulgauit, aut populus nec oppressus tyrãnide nec dolo circumscriptus, *Pacta & leges.*

de

de partiendis vitæ cõmodis, hoc est materia voluptatis, communi consensu sanxit. His inoffensis legibus tuum curare commodum, prudẽtia est: publicum præterea, pietatis: Sed alienam voluptatem præreptum ire, dum consequare tuam, ea vero iniuria est. contra tibi aliquid ipsi demere q̈ addas aliis, id demum est humanitatis ac benignitatis officium, quod ipsum nũquam tantum aufert commodi, quantum refert. Nam & beneficiorum vicissitudine pensatur, & ipsa benefacti conscientia, ac recordatio charitatis eorum & beneuolentiæ, quibus benefeceris, plus voluptatis affert animo, quam fuisset illa corporis qua abstinuisti. Postremo (quod facile persuadet animo libenter assentienti religio) breuis & exiguæ voluptatis vicem, ingenti ac

Officia vitæ mutua.

nun-

nunquam interituro 'gaudio rependit deus. Itaq; hoc pacto cenſent, & excuſſa ſedulo & perpenſare omnes actiones noſtras, atque in his virtutes etiam ipſas, voluptatem tandem velut finem felicitatemque reſpicere. Voluptatem appellant omnem coporis animive motum ſtatumque, in quo verſari natura duce delectet. Appetitionem naturę non temere addunt. Nam vt quicquid natura iucundum eſt, ad quod neque per iniuriam tenditur. nec iucundius aliud amittitur, nec labor ſuccedit, non ſenſus modo, ſed recta quoque ratio perſequitur, ita quæ præter naturam dulcia ſibi mortales vaniſſima conſpiratione confingunt (tanquam in ipſis eſſet perinde res ac vocabula commutare) ea omnia ſtatuunt adeo nihil ad felicitatem fa-

Voluptas quid.

Falſæ voluptates.

cere, vt plurimum officiant etiã, vel eo quod quibus semel insederũt, ne veris ac genuinis oblectamentis vsquam vacet locus, totum prorsus animum falsa voluptatis opinione præoccupant. Sunt enim perquam multa, quæ quum suapte natura nihil contineant suauitatis, imò bona pars amaritudinis etiam plurimum peruersa, tum improbarum cupiditatum illecebra, non pro summis tantum voluptatibus habeantur, verum etiam inter præcipuas vitæ causas numerentur. In hoc adulterinæ voluptatis genere, eos collocant, quos ante memoraui, qui quo meliorem togã habent, eo sibi meliores ipsi videntur. qua vna in re, bis errant. Neq; enim minus falsi sunt, quod meliorem putant togam suam, quàm quod se. Cur enim si vestis

Error eorũ qui sibi ob cultum placent.

vsum

vſum ſpectes, tenuioris fili lana præſtat craſſiori? at illi tamen tanquam natura non errore præcellerent, attollunt criſtas, & ſibimet quoq; precii credunt inde nonnihil accedere. eoque honorem, quem vilius veſtiti ſperare non eſſent auſi, elegantiori togæ velut ſuo iure exigunt, & prætermiſſi negligẽtius indignantur. At hoc ipſum quoq; vanis & nihil profuturis honoribus affici, an nõ eiuſdem inſcitiæ eſt? Nam quid naturalis & veræ voluptatis affert nudatus alterius vertex, aut curuati poplites? hoccine tuorum poplitum dolori medebitur? aut tui capitis phreneſim leuabit? In hac fucatæ voluptatis imagine, mirum quàm ſuauiter inſaniunt. ii qui nobilitatis opinione ſibi blandiuntur ac plaudunt, quod eiuſmodi maioribus naſci c…

Stulti honores.

Vana nobilitas.

tigerit, quorum longa ſeries diues (neque enim nunc aliud eſt nobilitas) habita ſit, præſertim in prædiis, nec pilo quidem minus ſibi nobiles vidētur, etiam ſi maiores nihil inde reliquerint, aut relictum ipſi obligurierint. His adnumerant eos, qui gemmis ac lapillis (vt dixi) capiuntur, ac dii quoddammodo ſibi videntur facti, ſi quando eximium aliquem conſequantur, eius præſertim generis, quod ſua tempeſtate maximo apud ſuos æſtimetur. neque enim apud omnes, neque omni tempore eadem genera ſunt in precio: Sed nec niſi exemptum auro, ac nudum comparant. Imo ne ſic quidem, niſi adiurato venditore, & præſtanti cautionem, veram gemmam ac lapidem ve[illegible]m eſſe, tam ſoliciti ſunt, ne ocu[illegible]orum veri loco adulterinus im-

Stultiſſima voluptas ex gēmis.

Opinio hominū preciū addit aut adimit gemmis.

imoponat. At ſpectaturo tibi, cur minus præbeat oblectamenti factitius, quem tuus oculus nõ diſcernit à vero? Vterque ex æquo valere debet, tibi non minus hercle quam cœco. Quid hi qui ſuperfluas opes adſeruant, vt nullo acerui vſu, ſed ſola contemplatione delectentur, num veram percipiunt, an falſa potius voluptate luduntur? aut hi qui diuerſo vitio aurum, quo nunquam ſint vſuri, fortaſſe nec viſuri amplius, abſcondunt, & ſoliciti ne perdant, perdũt. quid enim aliud eſt, vſibus demptum tuis, & omnium fortaſſe mortalium telluri reddere? & tu tamen abſtruſo theſauro, velut animi iam ſecurus lætitia geſtis. Quem ſi quis furto ſuſtulerit, cuius tu ignarus furti, decem poſt annis obieris, toto illo decennio, quo ſubtra-

Mira fictio & aptiſſima.

cuniæ ſuperfuiſti, quid tua retulit, ſurreptum an ſaluum fuiſſe? vtroque certe modo tantundem vſus ad te peruenit. Ad has

Alea.
Venatio.

tã ineptas lætitias, aleatores (quorum inſaniam auditu, non vſu cognouere) venatores præterea, atque aucupes adiungunt. Nam quid habet, inquiunt, voluptatis, talos in alueum proiicere, quod toties feciſti, vt ſi quid voluptatis ineſſet, oriri tamen potuiſſet ex frequẽti vſu ſatietas? aut quæ ſuauitas eſſe poteſt, ac non faſtidium potius, in audiendo latratu atque vlulatu canum? aut qui maior voluptatis ſenſus eſt, cum leporẽ canis inſequitur, quàm quum canis canem? nempe idem vtrobiq; agitur, accurritur enim, ſi te curſus oblectet. At ſi te cædis ſpes, l...iatus expectatio ſub oculis ...ndi retinet, miſericordiam

am potius mouere debet, ſpectare lepuſculum à cane, imbecillũ à validiore, fugacem ac timidum à feroce, innoxium deniq; à crudeli diſcerptum. Itaque Vtopienſes totum hoc venandi exercitium, vt rem liberis indignam, in lanios (quam artem per ſeruos obire eos ſupra diximus) reiecerunt, infimam enim eius partem eſſe venationem ſtatuunt, reliquas eius partes & vtiliores & honeſtiores, vt quę & multo magis conferant, & animalia neceſſitatis duntaxat gratia perimant, quum venator ab miſeri animalculi cæde ac laniatu, nihil niſi voluptatem petat. Quam ſpectandę necis libidinẽ in ipſis etiam beſtiis, aut ab animi crudelis affectu cẽſent exoriri, aut in crudelitatẽ deniq;, aſſiduo tam efferæ voluptatis vſu defluere. Hæc igitur & quicqu[...]

At hæc hodie ars eſt deorũ aulicorũ.

eiuſmodi (ſunt enim innumera) quãquam pro voluptatibus mortalium vulgus habeat, illi tamen quum natura nihil inſit ſuaue, plane ſtatuunt, cum vera voluptate nihil habere commercii. Nam quod vulgo ſenſum iucunditate perfundunt (quod voluptatis opus videtur) nihil de ſententia decedunt. non enim ipſius rei natura, ſed ipſorum peruerſa conſuetudo in cauſa eſt, cuius vitio fit vt amara pro dulcibus amplectantur. Non aliter ac mulieres grauidæ picem & ſeuum corrupto guſtu, melle mellitius arbitrantur. Nec cuiuſquam tamen aut morbo, aut conſuetudine deprauatum iudicium mutare naturam, vt non aliarum rerum, ita nec voluptatis poteſt. Voluptatũ ...s veras fatentur, ſpecies diuer...unt. Siquidẽ alias animo,

Citta in grauidis.

...lu

cor-

corpori alias tribuũt. Animo dãt intellectũ, eamque dulcedinem, quam veri contemplatio pepererit. Ad hæc ſuauis additur bene actæ vitæ memoria, & ſpes non dubia futuri boni. Corporis voluptatem in duas partiuntur formas, quarũ prima ſit ea, quæ ſenſum perſpicua ſuauitate perfundit, quod alias earum inſtauratione partium fit, quas inſitus nobis calor exhauſerit. Nam hæc cibo potuque redduntur, alias dum egeruntur illa, quorum copia corpus exuberat. hæc ſuggeritur, dum excrementis inteſtina purgamus, aut opera liberis datur, aut vllius prurigo partis frictu ſcalptuve lenitur. Interdum vero voluptas oritur, nec redditura quicquam quod membra noſtra deſiderent, nec ademptura quo laborent, cæterum quę ſen

Voluptates corporis.

ſtros tamen vi quadam occulta, ſed illuſtri motu titillet afficiatque, & in ſe conuertat, qualis ex muſica naſcitur. Alteram corporeæ voluptatis formam eam volunt eſſe, quę in quieto atq; æquabili corporis ſtatu conſiſtat, id eſt, nimirum ſua cuiuſq; nullo interpellata malo ſanitas. Hæc ſiquidẽ ſi nihil eam doloris oppugnet, ꝑ ſe ipſa delectat, etiamſi nulla extrinſecus adhibita voluptate moueatur. Quãquam enim ſeſe minus effert, minuſq; offert ſenſui, quàm tumida illa edendi bibendiq; libido, nihilo tamen ſecius multi eam ſtatuunt voluptatum maximam, omnes ferè Vtopienſes magnam & velut fundamentum omnium ac baſim fatentur, vt quæ vel ſola placidam & optabilem vitæ conditionem reddat, [...]a ſublata, nullus vſquam reliquus

liquus ſit cuiquam voluptati locus. Nam dolore prorſus vacare, niſi adſit ſanitas, ſtuporē certe, non voluptatem vocant. Iamdudum exploſum eſt apud eos decretum illorum, qui ſtabilem & tranquillam ſanitatem (nam hæc quoq; quæſtio gnauiter apud eos agitata eſt) ideo non habendam pro voluptate cenſebant, quod præſentem non poſſe dicerent, niſi motu quopiam extrario ſentiri. Verum contra nunc in hoc propè vniuerſi conſpirant, ſanitatem vel in primis voluptati eſſe. Etenim quum in morbo, inquiunt, dolor ſit, qui voluptati implacabilis hoſtis eſt, non aliter ac ſanitati morbus, quid ni viciſſim inſit ſanitatis tranquillitati voluptas? nihil enim ad hanc rē referre putant, ſeu morbus dolor eſſe, ſeu morbo dolor ineſſe dic...

Valeat poſſeſſor oportet.

Tantundem enim vtroque modo effici. Quippe ſi ſanitas aut voluptas ipſa ſit, aut neceſſario voluptatem pariat, velut calor igni gignitur, nimirum vtrobique efficitur, vt quibus immota ſanitas adeſt, his voluptas abeſſe nõ poſſit. Præterea dum veſcimur, inquiunt, quid aliud quam ſanitas, quæ labefactari cœperat, aduerſus eſurientem (cibo cõmilitone) depugnat, in qua dum paulatim inualeſcit, ille ipſe profectus ad ſolitum vigorem, ſugerit illam, qua ſic reficimur, voluptatem. Sanitas ergo quæ in conflictu lætatur, eadem non gaudebit adepta victoriam? Sed priſtinum robur, quod ſolum toto cõflictu petiuerat, tandem feliciter aſſecuta, protinus obſtupeſcet? nec bona ſua cognoſcet atque amplexabi-[illegible] Nam quod non ſentiri ſani-

tas

tas dicta eſt, id vero perquam procul à vero putant. Quis enim vigilans, inquiunt, ſanum eſſe ſe nō ſentit, niſi qui non eſt? quem ne tantus aut ſtupor, aut lethargus adſtringit, vt ſanitatem non iucundam ſibi fateatur, ac delectabilem? At delectatio quid aliud quam alio nomine voluptas eſt? Amplectuntur ergo in primis animi voluptates (eas enim primas omnium principesque ducunt) quarum potiſſimam partem cenſent ab exercitio virtutum bonæque vitæ conſcientia proficiſci. Earum voluptatum quas corpus ſuggerit, palmā ſanitati deferūt. Nam edendi bibendique ſuauitatem, & quicquid eandem oblectamenti rationem habet, appetenda quidem, ſed non niſi ſanitatis gratia ſtatuunt. Neque enim per ſe iucunda eſſe talia, ſed qu

tenus aduersę valetudini clanculum surrepenti resistunt. ideoque sapienti sicuti magis deprecãdos morbos, quàm optandam medicinam, & dolores profligandos potius, quàm adsciscenda solatia, ita hoc quoq; voluptatis genere non egere, quàm deliniri præstiterit. quo voluptatis genere si quisquam se beatum putet, is necesse est, fateatur se tum demum fore felicissimum, si ea vita contigerit, quæ in perpetua fame, siti, pruritu, esu, potatione, scalptu, frictuq; traducatur, quæ quàm nõ fœda solum, sed misera etiam sit, quis non videt? Infimæ profecto omnium hæ voluptates sunt, vt minimæ sinceræ, neq; enim vnquam subeunt, nisi contrariis cõiunctæ doloribus, Nempe cum edendi voluptate copulatur esuries, idque non satis æqua lege.

Nam

Nam vt vehementior, ita longior quoque dolor eſt. quippe & ante voluptatem naſcitur, & niſi voluptate vnà commoriente non extinguitur. Huiuſmodi ergo voluptates, niſi quatenus expedit necesſitas, haud magni habendas putãt. Gaudent tamen etiam his, gratiq; agnoſcunt naturæ parentis indulgentiam, quæ fœtus ſuos ad id quod neceſſitatis cauſa tam aſſidue faciundum erat, etiam blandiſſima ſuauitate pelliceat. Quanto enim in tædio viuendũ erat, ſi vt cæteræ ægritudines, quę nos infeſtant rarius, ita hi quoq; quotidiani famis ac ſitis morbi, venenis ac pharmacis amaris eſſent abigendi? At formam, vires, agilitatem, hæc vt propria iucundaq; naturæ dona libenter fouent. Quin eas quoq; voluptates, quæ per aures, oculos, ac na-

admittuntur, quas natura proprias ac peculiares eſſe homini voluit (neq; enim aliud animantium genus, aut mundi formam pulchritudinemque ſuſpicit, aut odorum niſi ad cibi diſcrimen, vlla commouetur gratia, neq; conſonas inter ſe, diſcordesque ſonorum diſtantias internoſcit) & has inquam, vt iucunda quædam vitæ condimenta perſequũtur. In omnibus autem hunc habẽt modum, ne maiorem minor impediat, neu dolorem aliquando voluptas pariat, quod neceſſario ſequi cenſent, ſi inhoneſta ſit. At certe formæ decus contemnere, vires deterere, agilitatem in pigritiam vertere, corpus exhaurire ieiuniis, ſanitati iniuriam facere, & cætera naturæ blandimenta reſpuere, niſi quis [...]æc ſua commoda negligat, dum alio-

aliorum publicamve ardentius procurat, cuius laboris vice maiorem à deo voluptatem expectet, alioquin ob inanem virtutis vmbram, nullius bono ſemet affligere, vel quo aduerſa ferre minus moleſte poſſit, nunquam fortaſſe ventura. hoc vero putant eſſe dementiſſimum, animique & in ſe crudelis, & erga naturam ingratiſſimi, cui tanquam debere quicquam dedignetur, omnibus eius beneficiis renunciat. Hæc eſt eorum de virtute ac voluptate ſententia, qua niſi ſanctius aliquid inſpiret homini, cœlitus immiſſa religio, nullam inueſtigari credunt humana ratione veriorem, qua in re rectene an ſecus ſentiant, excutere: nos neq; tempus patitur, neque neceſſe eſt. quippe qui narranda eorum inſtituta non etiam tuenda ſuſce[...]

Annotandũ & hoc diligenter.

Felicitas Vtopiensium ac descriptio.

mus. Cæterum hoc mihi certe persuadeo, vtut sese habeant hæc decreta, nusquam neque pręstantiorem populum, neque feliciorem esse rempublicam. Corpore sunt agili vegetoque, virium amplius quam statura promittat. nec ea tamen improcera. Et quum neque solo sint vsquequaque fertili, nec admodum salubri cœlo, aduersus aërem ita sese temperãtia victus muniunt, terræ sic medẽtur industria, vt nusquam gentium sit frugis pecorisque prouentus vberior, aut hominum viuaciora corpora, paucioribusque morbis obnoxia. Itaque non ea modo quæ vulgo faciunt agricolę, diligẽter ibi administrata conspicias, vt terrã natura maligniorem, arte atque opera iuuent, sed populi manibus alibi radici-s euulsam syluam, alibi consi-

tam

tam videas: qua in re habita est nõ vbertatis, sed vecturæ ratio, vt essent ligna aut mari, aut fluuiis, aut vrbibus ipsis viciniora, minore enim cum labore terrestri itinere, fruges quàm ligna longius afferuntur. Gens facilis ac faceta, solers, ocio gaudens, corporis laborum (quum est vsus) satis patiens. Cæterum aliâs haudquaquam sanè appetens, animi studiis infatigata. Qui quum à nobis accepissent de literis & disciplina Græcorum (nam in Latinis, præter historias ac poëtas, nihil erat quod videbantur magnopere probaturi) mirum quanto studio contenderunt, vt eas liceret ipsis nostra interpretatione pdiscere. Cœpimus ergo legere, magis adeo primũ, ne recusare laborem videremur, quã quod fructum eius aliquẽ speraremus. At vbi paulum

Vtilitas linguæ græcæ.

Docilitas Vtopiensiũ mira.

processimus, ipsorum diligentia fecit, vt nostram haud frustra impendendam animo statim præciperemus. Siquidem literarum formas tam facile imitari, verba tam expedite pronunciare, tam celeriter mandare memoriæ, & tanta cum fide reddere cœperunt, vt nobis miraculi esset loco, nisi quod pleraque pars eorum, qui non sua solum sponte accensi, verum senatus quoque decreto iussi, ista sibi discenda sumpserunt: è numero scholasticorum selectissimis ingeniis, & matura ætate fuerunt. Itaq; minus quam triẽnio nihil erat in lingua, quod requirerent bonos autores, nisi obstet libri menda, inoffense perlegerent. Eas literas, vt equidem coniicio, ob id quoque facilius arripuerunt, quod nonnihil illis essent cognatæ. Suspicor enim eam

At nũc stipites & caudices dicantur literis, felicissima ingenia voluptatibus corrumpuntur.

gen-

gentem à Grȩcis originem duxiſ-
ſe, propterea quod ſermo illorum
cætera fere Perſicus, nõnulla Grȩ-
ci ſermonis veſtigia ſeruet in vr-
bium ac magiſtratuũ vocabulis.
Habent ex me (nam librorum
ſarcinam mediocrem loco mer-
cium quarto nauigaturus in na-
uem conieci, quod mecum planè
decreueram nũquam potius red-
ire quam cito) Platonis opera
pleraq;, Ariſtotelis plura, Theo-
phraſtum item de plantis, ſed plu-
ribus, quod doleo, in locis muti-
lum. In librum enim, dum naui-
gabamus, negligentius habitum,
cercopithecus inciderat, qui la-
ſciuiẽs ac ludibundus, paginas a-
liquot hinc atque inde euulſas la-
cerauit. Ex his qui ſcripſere gram-
maticam, Laſcarem habent tan-
tum, Theodorum enim non ad-
uexi mecum, nec dictionarium

aliquem præter Hesychium ac Dioscoridem. Plutarchi libellos habent charissimos, & Luciani quoq; facetiis ac lepore capiuntur. Ex Poëtis habent Aristophanem, Homerum, atq; Euripidẽ, tum Sophoclem minusculis Aldi formulis. Ex historicis Thucydidem atque Herodotum, necnon Herodianum. Quin in re medica quoq; sodalis meus Tricius Apinatus aduexerat secum parua quædam Hippocratis opuscula, ac Microtechnen Galeni, quos libros magno in precio habent: siquidem & si omnium ferè gentium re medica minime egent, nusquam tamẽ in maiore honore est, vel eo ipso quod eius cognitionẽ numerant inter pulcherrimas atq; vtilissimas partes philosophiæ, cuius ope philosophiæ dum naturæ secreta scrutãtur, viden-

Medicina vtilissima

dentur sibi non solum admirabilẽ inde voluptatem percipere, sed apud autorem quoq; eius atq; opificem summam inire gratiam. Quæ cæterorũ more artificum, arbitrantur, mundi huius visendam machinam homini (quẽ solum tantæ rei capacem fecit) exposuisse spectandam, eoq; chariorem habere, curiosum ac solicitũ inspectorem, operisque sui admiratorem, quàm eum qui velut animal expers mentis, tantum ac tam mirabile spectaculũ stupidus immotusq; neglexerit. Vtopiensiũ itaq; exercitata literis ingenia mire valent ad inuentiones artium, quæ faciant aliquid ad commodæ vitæ compendia. Sed duas tamen debent nobis Chalcographorum & faciendæ chartæ, nec solis tamen nobis, sed sibi quoque bonam eius partem. Nam

Contemplatio naturæ.

quum

quum oſtenderemus eis libris chartaceis impreſſas ab Aldo literas, & de chartæ faciendæ materia, ac literas imprimendi facultate loqueremur, aliquid magis quam explicaremus (neque enim quiſquam erat noſtrum qui alterutram calleret) ipſi ſtatim acutiſſime coniecerunt rem, & quum ante pellibus, corticibus, ac papyro tantum ſcriberēt, iam chartam illico facere, & literas imprimere tentarunt: quæ quum primo non ſatis procederent, eadem ſæpius experiendo, breui ſunt vtrunque conſecuti, tantumque effecerunt, vt ſi eſſent Græcorum exemplaria librorum, codices deeſſe nō poſſent. At nunc nihil habent amplius, quam à me commemoratum eſt, id vero quod habent impreſſis iam libris, in multa exemplariorum millia propagauere.

uere. Quisquis eo spectandi gratia venerit, quem insignis aliqua dos ingenii, aut longa peregrinatione vsum, multarũ cognitio terrarum commendet (quo nomine gratus fuit noster appulsus) pronis animis excipitur. Quippe libenter audiunt, quid vbique terrarum geratur. Cæterum mercandi gratia non admodum frequenter appellitur. Quid enim ferrent, nisi aut ferrum, aut quod quisque referre mallet aurum argentumve? Tum quæ ex ipsis exportanda sint, ea consultius putant ab se efferri, quam ab aliis illinc peti, quo & exteras vndique gentes exploratiores habeant, neque maritimarum rerum vsum ac peritiam oblitum eant.

DE SERVIS.

Mira huius gentis æquitas.

PRo seruis neque bello captos habent nisi ab ipsis gesto, neq; seruorum filios, neq; deniq; quēquam, quem apud alias gẽtes seruientem possent comparare, sed aut si cuius apud se flagitium in seruitium vertitur, aut quos apud exteras vrbes (quod genus multo frequentius est) admissum facinus destinauit supplicio. Eorum enim multos, interdum æstimatos vili, sæpius etiam gratis impetratos, auferunt. Hæc seruorum genera non in opere solum perpetuo, verumetiam in vinculis habent, sed suos durius, quos eo deploratiores, ac deteriora meritos exempla censent, quod tam præclara educatione ad virtutem egregie instructi, cõtineri tamen ab scelere non potuerint. Aliud seruorũ genus est, quum alterius popu-

populi mediastinus quispiã laborios⁹ ac pauper elegerit apud eos sua sponte seruire. Hos honeste tractant, ac nisi quod laboris, vtpote cõsuetis, imponitur pluſculum, nõ multo minus clementer ac ciues habent, volentem discedere (quod nõ sæpe fit) neq; retinẽt inuitum, neq; inanem dimittunt. Ægrotantes, vt dixi, magno cum adfectu curant, nihilq; prorsus omittunt, quo sanitati eos vel medicinæ, vel victus obseruatione restituant. Quin insanabili morbo laborantes assidendo, colloquendo, adhibendo demum quæ possunt leuamenta, solantur. Cæterum si non immedicabilis modo morbus sit, verumetiam perpetuo vexet atque discruciet, tum sacerdotes ac magistratus hortãtur hominem: quandoquidem omnibus vitæ

De ægrotis.

Mors spontanea.

muniis impar, aliis molestus ac sibi grauis morti iam suæ superuiuat: ne secum statuat pestem diutius ac luem alere, neve quum tormentum ei vita sit, mori dubitet, quin bona spe fretus, acerba illa vita velut carcere atq; aculeo, vel ipse semet eximat, vel ab aliis eripi se sua voluntate patiatur, hoc illum quum non commoda sed supplicium abrupturus morte sit prudenter facturum, quoniã vero sacerdotum in ea re cõsiliis, id est interpretum dei, sit obsecuturus, etiam pie sancteque facturum. Hæc quibus persuaserint, aut inedia sponte vitam finiunt, aut sopiti sine mortis sensu soluuntur. Inuitum vero neminem tollũt, nec officii erga eum quicquam imminuunt, persuasos hoc pacto defungi honorificum. Alioqui qui mortem sibi consciuerit,

rit, cauſa non probata ſacerdotibus & ſenatui, hunc neque terra neque igne dignantur, ſed in paludem aliquam turpiter inſepultus abiicitur. Fœmina non ante annum duodeuiceſimum nubit. Mas non niſi expletis quatuor etiam amplius. Ante coniugium mas aut fœmina ſi conuincatur furtiuæ libidinis, grauiter in eum eamve animaduertitur, coniugioq; illis in totum interdicitur, niſi venia principis noxam remiſerit, ſed & pater & materque familias, cuius in domo admiſſum flagitium eſt, tanquam ſuas partes parum diligenter tutati, magnæ obiacent infamiæ, id facinus ideo tam ſeuere vindicant, quod futurum proſpiciunt, vt rari in coniugalem amorem coaleſcerent, in quo ætatem omnem cum vno videant exigendam, & perferendas *De coniugiis.*

inſuper, quas ea res affert, moleſtias, niſi à vago cōcubitu diligenter arceantur. Porrò in deligendis coniugibus ineptiſſimum ritum (vti nobis viſum eſt) adprimeq; ridiculum, illi ſerio ac ſeuere obſeruant. Mulierem enim, ſeu virgo ſeu vidua ſit, grauis & honeſta matrona proco nudam exhibet, ac probus aliquis vir, viciſſim nudum puellæ procum ſiſtit. Hunc morem quum velut ineptum ridentes improbaremꝰ, illi contra cæterarum omnium gentium inſignem demirari ſtultitiam, qui quum in equuleo cōparando, vbi de paucis agitur nūmis, tam cauti ſint, vt quamuis ferè nudum niſi detracta ſella tamē, omnibuſq; reuulſis ephippiis recuſent emere, ne ſub illis operculis hulcus aliquod deliteſceret, in deligenda coniuge, qua ex re aut

Et ſi parū verecunde, haud tamen incaute.

volu-

voluptas, aut nausea sit totam per vitam comitatura, tam negligenter agant, vt reliquo corpore vestib. obuoluto, totam mulierem vix ab vnius palmæ spacio (nihil enim præter vultum visitur) æstiment, adiungantq; sibi non absq; magno (si quid offendat postea) male cohærendi periculo. Nam neq; omnes tam sapientes sunt, vt solos mores respiciant, & in ipsorum quoq; sapientum coniugiis, ad animi virtutes nonnihil addita mēti, corporis etiam dotes adiiciunt, certe tam fœda deformitas latere sub illis potest inuolucris, vt alienare prorsus animum ab vxore queat, quum corpore iam seiungi non liceat: Qualis deformitas, si quo casu contingat post contractas nuptias, suam quisque sortem necesse ferat. ante vero ne quis capiatur insidiis,

legibus caueri debet, idque tanto maiore ſtudio fuit curandũ, quod & ſoli illarum orbis plagarum ſingulis ſunt contenti coniugibus, & matrimoniũ ibi haud ſæpe aliter quã morte ſoluitur, niſi adulterium in cauſa fuerit, aut morum non ferenda moleſtia. Nempe alterutri ſic offenſo, facta ab ſenatu coniugis mutandi venia, alter infamem ſimul ac cœlibem perpetuo vitam ducit. Alioquin inuitam coniugem, cuius nulla ſit noxa, repudiare, quod corporis obtigerit calamitas, id vero nullo pacto ferunt, nam & crudele iudicant tum quenquã deſeri, cũ maxime eget ſolatio, & ſenectuti, quum & morbos afferat, & morbus ipſa ſit, incertã atq; infirmã fidẽ fore. Cæterum accidit interdũ, vt quũ non ſatis inter ſe cõiugũ conueniant mores, repertis

Diuortiũ.

vtriq;

vtriq; aliis, quibus cum ſperent ſe ſuauius eſſe victuros, amborum ſponte ſeparati, noua matrimonia contrahant, haud abſq; ſenatus autoritate tamẽ, qui niſi cauſa per ſe atq; vxores ſuas diligenter cognita, diuortia non admittit. Imò ne ſic quidem facile, quod rem minime vtilem ſciunt firmãdæ coniugum charitati, facilem nouarum nuptiarum ſpem eſſe propoſitam. Temeratores coniugii grauiſſima ſeruitute plectũtur, & ſi neuter erat cœlebs, iniuriam paſſi (velint modo) repudiatis adulteris, coniugio inter ſe ipſi iunguntur alioquin quibus videbitur. At ſi læſorũ alteruter erga tam male merentẽ coniugem in amore perſiſtat, tamẽ vti cõiugii lege non prohibetur, ſi velit in opera damnatũ ſequi, acciditq; interdũ, vt alterius pœnitẽtia alteri⁹

officiosa sedulitas miserationem commouens principi, libertatem rursus impetret. Cæterum ad scelus iam relapso nex infligitur. Cæteris facinoribus nullam certam pœnam lex vlla præstituit, sed vt quodq; atrox, aut contra visum est, ita supplicium Senatus decernit. Vxores mariti castigãt, & parentes liberos, nisi quid tam ingens admiserint, vt id publice puniri morum intersit. Sed ferè grauissima quæque scelera seruitutis incommodo puniuntur, id siquidem & sceleratis non minus triste, & Reipublicæ magis commodum arbitrantur, quàm si mactare noxios & protinus amoliri festinent. Nam & labore quàm nece magis prosunt, & exemplo diutius alios ab simili flagitio deterrent. quod si sic habiti rebellent atq; recalcitrent, tum demũ

Æstimatio supplicii penes magistratum.

velut

velut indomitæ belluæ, quos coërcere carcer & catena non potest, trucidantur. At patientibus nõ adimitur omnis omnino spes, quippe lõgis domiti malis si eam pœnitentiam præ se ferant, quæ peccatum testetur, magis eis displicere, quàm pœnam, principis interdum prerogatiua, interdum suffragiis populi aut mitigatur seruitus, aut remittitur. Solicitasse ad stuprũ, nihilo minus quàm stuprasse periculi est. In omni siquidem flagitio certum destinatumque conatum æquant facto. neque enim id quod defuit ei, putãt prodesse debere, per quem non stetit, quo minus nihil defuerit. Moriones in delitiis habentur, quos vt affecisse contumelia magno in ꝓbro est, ita voluptatem ab stultitia capere non

Stupri solicitati pœna.

Voluptas è Morionibus.

vetant. Siquidem id Morionibus ipſis maximo eſſe bono cenſent, cuius qui tam ſeuer⁹ ac triſtis eſt, vt nullum neq; factum neq; dictũ rideat, ei tutandum nõ credunt, veriti ne non ſatis indulgenter curetur ab eo, cui non modo nulli vſui, ſed ne oblectamento quidem (qua ſola dote valent) futurus eſſet. Irridere deformem aut mutilum, turpe ac deforme non ei, qui ridetur, habetur, ſed irriſori, qui cuiquam quod in eius poteſtate non erat vt fugeret, id vitii loco ſtulte exprobret. Vt enim formam naturalem non tueri ſegnis atque inertis ducunt, ſic, adiumentum ab fucis quærere, infamis apud illos inſolentia eſt. Vſu enim ipſo ſentiunt, quàm non vllum formæ decus vxores æque ac morum probitas & reuerentia commẽdet maritis. Nã vt forma

Fucata forma.

non-

nonnulli ſola capiuntur, ita nemo niſi virtute atq; obſequio retinetur. Non pœnis tantum deterrent à flagitiis, ſed propoſitis quoq; honoribus ad virtutes inuitant, ideoq; ſtatuas viris inſignibus, & de republica præclare meritis in foro collocant, in rerum bene geſtarum memoriam, ſimul vt ipſorum poſteris, maiorũ ſuorum gloria calcar & incitamentum ad virtutem ſit. Qui magiſtratum vllum ambierit, exſpes omnium redditur. Conuiuunt amabiliter, quippe nec magiſtratus vllus inſolẽs, aut terribilis eſt, patres appellantur, & exhibent. iiſdem defertur, vt debet, ab volentibus honor, nõ ab inuitis exigitur. Ne principem quidem ipſum, veſtis aut diadema, ſed geſtatus frumẽti manipulus diſcernit, vt Pontificis inſigne eſt prælatus

Et præmiis inuitandi ciues ad officium.

Damnatus ambitus.

Honor magiſtratuum.

Dignitas principis.

Leges paucæ.

tus cereus. Leges habent perquã paucas. sufficiunt enim sic institutis paucissimę. Quin hoc in primis apud alios improbant populos, quod legum interpretumque volumina non infinita sufficiunt. Ipsi vero censent iniquissimum, vllos homines his obligari legibus, quæ aut numerosiores sint, quàm vt perlegi queant, aut obscuriores, quàm vt à quouis possint intelligi. porrò causidicos, qui causas tractent callide, ac leges vafre disputẽt: prorsus omnes excludunt. censent enim ex vsu esse, vt suam quisq; causam agat, eademque referat iudici, quæ narraturus patrono fuerat. Sic & minus ambagum fore, & facilius elici veritatem, dum eo dicente, quem nullus patronus fucum docuit, iudex solerter expẽdit singula, & contra versutorum

Aduocatorum inutilis turba.

calu-

calumnias ſimpliciorib. ingeniis opitulatur. hęc apud alias gentes, in tanto perplexiſſimarum aceruo legum difficile eſt obſeruari. Cæterum apud eos vnuſquiſque eſt legis peritus. Nam & ſunt (vt dixi) pauciſſimæ, & interpretationum præterea vt quæque eſt maxime craſſa, ita maxime æquã cẽſent. Nempe quum omnes leges (inquiunt) ea tantum cauſa promulgentur, vt ab his quiſque ſui commonefiat officii, ſubtilior interpretatio pauciſſimos admonet (pauci enim ſunt qui aſſequãtur) quum interim ſimplicior ac magis obuius legum ſenſus, omnibus in aperto ſit, alioquin quod ad vulgus attinet, cuius & maximus eſt numerus, & maxime eget admonitu, quid referat vtrum legem omnino non condas, an conditam in talem inter-

interpreteris ſententiam, quam
niſi magno ingenio & longa diſ-
putatione nemo poſſit eruere, ad
quam inueſtigandam neque craſ-
ſum vulgi iudicium queat attin-
gere, neque vita in comparando
victu occupata ſufficere. His eo-
rum virtutibus incitati finitimi,
q̃ quidẽ liberi ſunt, & ſuæ ſpontis
(multos enim ipſi iã olim tyrãni-
de liberauerunt) magiſtratus ſibi,
ab illis alii quotannis, alii in luſtrũ
impetrant, quos defunctos impe-
rio cũ honore ac laude reducunt,
nouosque ſecum rurſus in patriã
reuehunt. Atque hi quidem po-
puli optime profecto ac ſaluber-
rime Reipublicæ ſuæ conſulunt,
cuius & ſalus & pernicies, quum
ab moribus magiſtratuum pen-
deat, quos nam potuiſſent elegiſ-
ſe prudentius, quam qui neque
vllo precio queant ab honeſto

deduci

deduci (vtpote quod breui ſit remigraturis inutile) ignoti ciuibus, aut prauo cuiuſquam ſtudio aut ſimultate flecti. Quæ duo mala, affectus atque auaritiæ, ſicubi incubuere iudiciis, illico iuſtitiã omnem, fortiſſimum Reipublicę neruum, diſſoluunt. Hos Vtopiani populos, quibus qui imperent, ab ipſis petuntur, appellãt ſocios: cæteros quos beneficiis auxerũt, amicos vocant. Fœdera quæ reliquæ inter ſe gentes toties ineunt, frangunt ac renouant, ipſi nulla cum gente feriunt. Quorſum enim fœdus, inquiunt, quaſi non hominem homini ſatis natura conciliet, quam qui contempſerit, hunc verba ſcilicet putes curaturum. In hanc ſententiam eò vel maxime trahuntur, quod in illis terrarum plagis, fœdera pactaque principum ſolent parum bona

De fœderibus.

bona fide seruari. Etenim in Europa, idq; his potissimũ partibus, quas CHRISTI fides & religio possidet, sancta est & inuiolabilis vbiq; maiestas fœderum, partim ipsa iustitia & bonitate principũ, partim summorum reuerentia, metuq; Pontificum, qui vt nihil in se recipiunt ipsi, quod non religiosissime præstant, ita cæteros omnes principes iubent, vt pollicitis omnib. modis immorentur, tergiuersantes vero pastorali cẽsura & seueritate cõpellunt. Merito sanè censent turpissimam rem videri, si illorum fœderibus absit fides, qui peculiari nomine fideles appellantur. At in illo nouo orbe terrarum, quem circulus æquator vix tam longe ab hoc nostro orbe semouet, quàm vita moresq; dissident, fœderum nulla fiducia est, quorum vt quoque

pluri-

plurimis ac ſanctiſſimis ceremoniis innodatum fuerit, ita citiſſime ſoluitur inuenta facile in verbis calumnia, quæ ſic interim de induſtria dictant callide, vt nunquam tam firmis adſtringi vinculis queant, quin elabantur aliqua, fœduſq; & fidem pariter eludant. Quam vatriciem, imò quã fraudem dolumque, ſi priuatorum deprehenderent interueniſſe cõtractui, magno ſupercilio rem ſacrilegam & furca dignã clamitarent, hi nimirum ipſi, qui eius conſilii principibus dati, ſemet gloriantur autores. Quo fit vt iuſtitia tota videatur, aut non niſi plebea virtus & humilis, quæque lõgo interuallo ſubſidat infra regale faſtigium, aut vti ſaltem duo ſint, quarum altera vulgus deceat pedeſtris & humirepa, neve vſquam ſepta tranſilire queat.

mul-

multis vndique restricta vinculis, altera principum virtus, quæ sicuti sit quam illa popularis augustior, sic est etiam lõgo interuallo liberior, vt cui nihil nõ liceat, nisi quod non libeat. Hos mores vt dixi principum, illic fœdera tam male seruantium puto in causa esse, ne vlla feriant Vtopienses, mutaturi fortasse sententiam si hic viuerent. Quanquam illis videtur vt optime seruentur, male tamẽ inoleuisse fœderis omnino sanciendi consuetudinem, qua fit, vt (perinde ac si populum populo, quos exiguo spacio collis tantum aut riuus discriminat, nulla naturæ societas copularet) hostes atque inimicos inuicem sese natos putent, meritoque in mutuam grassari perniciem, nisi fœdera prohibeant, quin his ipsis quoq; initis, non amicitiã coale-

ſcere, ſed manere prędandi licentiam, quatenus per imprudentiã dictandi fœderis, nihil quod prohibeat ſatis caute comprehenſum in pactis eſt. At illi contra cenſent, neminem pro inimico habendum, à quo nihil iniuriæ profectum eſt. Naturæ conſortium, fœderis vice eſſe, & ſatius valentiusque homines inuicem beneuolẽtia quam pactis, animo quam verbis, connecti.

DE RE MILITARI.

BELLVM vtpote rem plane belluinam, nec vlli tamẽ belluarum formæ in tam aſſiduo, atque homini eſt vſu, ſummopere abominantur, contraque morem gentium ferme omnium nihil æque ducunt inglorium, atque petitam è bello gloriam. eoque licet aſſidue militari ſeſe diſciplina exerce-

erceant, neque id viri modo, sed fœminæ quoque statis diebus, ne ad bellum sint, quum exigat vsus inhabiles: non temere capessunt tamen, nisi quo aut suos fines tueantur, aut amicorum terris infusos hostes propulsent, aut populum quempiam tyrannide pressum miserati (quod humanitatis gratia faciunt) suis viribus Tyranni iugo & seruitute liberent. Quanquam auxilium gratificantur, amicis non semper quidem quo se defendant, sed interdum quoque illatas retalient, atque vlciscantur iniurias. verum id ita demum faciunt, si re adhuc integra consulantur ipsi, & probata causa, repetitis ac non redditis rebus, belli autores inferendi sint, quod non tunc solum decernunt, quoties hostili incursu abacta est p̃da, verum tum quoq;

mul-

multo infeſtius, quum eorum negociatores vſquam gentium vel iniquarum prætextu legum, vel ſiniſtra deriuatione bonarum, iniuſtam ſubeunt, iuſtitiæ colore, calumniam. Nec alia fuit eius origo belli, quod pro Nephelogetis aduerſus Alaopolitas, paulo ante noſtram memoriam, Vtopienſes geſſere, quàm apud Alaopolitas Nephelogetarum mercatoribus illata prætextu iuris (vt viſum eſt ipſis) iniuria certe, ſiue illud ius, ſiue ea iniuria fuit, bello tam atroci eſt vindicata, quum ad proprias vtriuſq; partis vires, odiaq; circumiectarum etiam gentium ſtudia atque opes adiungerentur, vt florentiſſimis populorum aliis concuſſis, aliis vehementer afflictis, orientia ex malis mala, Alaopolitarum ſeruitus demum ac deditio finierit, qua in

Nephe-

Nephelogetarum (neq; enim sibi certabant Vtopienses) potestatem concessere, gentis florentibus Alaopolitarum rebus, haud quaquam cum illis conferendæ. Tam acriter Vtopienses amicorum, etiam in pecuniis, iniuriam persequuntur, suas ipsorum non item, qui sicubi circumscripti bonis excidant, modo corporibus absit vis, hactenus irascuntur, vti quoad satisfactio fiat, eius commercio gentis abstineant. Non quod minoris sibi curę ciues, quã socii sint, sed horum tamen pecuniam intercipi, ægrius quam suã ferunt, propterea quod amicorum negociatores, quoniam de suo perdunt priuato, graue vulnus ex iactura sentiunt. At ipsorum ciuibus nihil nisi de publica perit, præterea quod abundabat domi, ac veluti supererat, alioqui

non

non emittendum foras. Quo fit, vti intertrimentũ citra cuiusquã sensum accidat. Quo circa nimis crudele censent id damnum multorum vlcisci mortibus, cuius damni incommodum nemo ipsorum aut vita, aut victu persentiscat. Cæterum si quis suorum vsquam per iniuriam debilitetur aut occidat, siue id publico factũ consilio, siue priuato sit, per legatos re comperta, nisi deditis noxiis placari non possunt, quin illico bellum denuncient. Noxæ deditos, aut morte, aut seruitio puniunt. Cruentæ victoriæ non piget modo eos, sed pudet quoque, reputantes inscitiam esse quamlibet preciosas merces nimio emisse. arte doloque victos, oppressos hostes impendio gloriantur, triumphumque ob eam rem publicitus agunt, & velut re stre-

Magno empta victoria.

nue geſta trophæum erigunt. tūc enim demum viriliter ſeſe iactant, & cum virtute geſſiſſe, quoties ita vicerint, quomodo nullum animal præter hominem potuit, id eſt, ingenii viribus. Nam corporis inquiunt, vrſi, leones, apri, lupi, canes, cæteræque belluæ dimicant, quarum vt pleræq; nos robore ac ferocia vincunt, ita cūctæ ingenio & ratione ſuperantur. Hoc vnum illi in bello ſpectant, vti id obtineant, quod ſi fuiſſent ante conſequuti, bellum nō fuerant illaturi: aut ſi id res vetet, tam ſeueram ab his vindictam expetunt, quibus factum imputant, vt idem auſuros in poſterū terror abſterreat. Hos propoſiti ſui ſcopos deſtinant, quos mature petunt, at ita tamen, vti prior vitandi periculi cura, quàm laudis aut famæ conſequendæ ſit.

Itaq;

Itaq; protinus indicto bello, ſchedulas ipſorum publico ſigno roboratas, locis maxime conſpicuis hoſticæ terræ, clàm vno tempore multas appendi procurant, quibus ingentia pollicentur præmia, ſi quis principem aduerſarium ſuſtulerit: deinde minora quanquam illa quoque egregia decernunt, pro ſingulis eorum capitibus, quorum nomina in iiſdem literis proſcribunt, hi ſunt, quos ſecundum principem ipſum, autores initi aduerſus ſe conſilii ducunt. Quicquid percuſſori præfiniunt, hoc geminant ei, qui viuum è proſcriptis aliquem ad ſe perduxerint, quũ ipſos quoq; ꝓſcriptos, p̃miis iiſdem, addita etiã impunitate, contra ſocios inuitãt. Itaq; fit celeriter, vt & cęteros mortales ſuſpectos habeant, & ſibi inuicem ipſi neque fidentes

ſatis, neque fidi ſint, maximoque in metu & non minore periculo verſentur. Nam ſæpenumero cõſtat eueniſſe, vti bona pars eorum & princeps in primis ipſe, ab his proderẽtur, in quibus maximam ſpem repoſuerunt. Tam facile quoduis in facinus impellũt munera, quibus illi nullum exhibent modum. Sed memores in quantũ diſcrimen hortantur, operam dãt, vti periculi magnitudo beneficiorum mole compenſetur. eoq; non immenſam modo auri vim, ſed prędia quoq; magni reditus in locis apud amicos tutiſſimis, propria ac perpetua pollicitantur, & ſumma cum fide præſtant. Hunc licitandi mercandiq́; hoſtis morem, apud alios improbatum, velut animi degeneris crudele facinus, illi magnæ ſibi laudi ducunt tanquam prudentes, qui maxi-
mis

mis hoc pacto bellis, ſine vllo prorſus prælio defungantur, humanique ac miſericordes etiam, qui paucorum nece noxiorum, numeroſas innocentium vitas redimant, qui pugnando fuerint occubituri. Partim è ſuis, partim ex hoſtibus, quorum turbam vulgusque non minus ferme quam ſuos miſerãtur, gnari nõ ſua ſponte eos bellum capeſſere, ſed principum ad id furiis agi. Si res hoc pacto non procedat, diſſidiorum ſemina iaciunt aluntque, fratre principis, aut aliquo è nobilibus in ſpem potiundi regni perducto. Si factiones internæ languerint, finitimas hoſtibus gentes excitant, committuntq;, eruto vetuſto quopiam titulo, quales nunquam regibus deſunt, ſuas ad bellum opes polliciti, pecuniam affluenter ſuggerunt. Ciues parciſ-

ſime, quos tam vnice habent charos, tantiq; ſeſe mutuo faciunt, vt neminem ſint è ſuis cum aduerſo principe libenter commutaturi. At aurum argentumque, quoniam vnum hunc in vſum omne ſeruant, haud grauatim erogant. vtpote non minus commode victuri, etiam ſi vniuerſum impenderent. Quin præter domeſticas diuitias eſt illis foris quoque infinitus theſaurus, quo plurimæ gẽtes, vti ante dixi, in ipſorum ære ſunt, ita milites vndique conductos ad bellum mittunt, præſertim ex Zapoletis. Hic populus quingentis paſſuum millibus ab Vtopia diſtat, orientem ſolem verſus, horridus, agreſtis, ferox, ſyluas monteſque aſperos, quibus ſunt innutriti, præferunt. Dura gens, æſtus, frigoris, & laboris patiens, delitiarum expers omni-

um,

um, neque agriculturæ ſtudens, & cum ædificiorum, tum veſtitus indiligens, pecorum duntaxat curam habent. Magna ex parte venatu & raptu viuunt. Ad ſolum bellum nati, cuius gerendi facultatem ſtudioſe quærunt, repertam cupide amplectuntur, & magno numero egreſſi, cuiuis requirenti milites vili ſemet offerunt. Hanc vnam vitæ artem nouerunt, qua mors quæritur, ſub quibus merent, acriter pro his & incorrupta fide dimicant. Verum in nullum certum diem ſeſe obſtringũt, ſed ea lege in partes veniunt, vt poſteriore die vel ab hoſtib. oblato maiore ſtipẽdio ſint ſtaturi, iidẽ perendie rurſus inuitati pluſculo, remigrant. Rarum oritur bellum, in quo nõ bona pars illorum in vtroque ſint exercitu. itaque accidit quotidie,

vt ſanguinis neceſſitudine coniuncti, qui & iiſdē in partibus cōducti, familiariſſime ſemet inuicem vtebātur, paulo poſt in contrarias diſtracti copias, hoſtiliter concurrant, & infeſtis animis, obliti generis, immemores amicitię, mutuo ſeſe confodiant, nulla alia cauſa in mutuam incitati perniciem, quam quod à diuerſis principibus exigua pecuniola conducti, cuius tam exactam habent rationem, vt ad diurnum ſtipendium vnius acceſſione aſſis facile ad commutandas partes impellantur. Ita celeriter imbiberunt auaritiam, quæ tamen nulli eſt eis vſui. Nam quæ ſanguine quærunt protinus per luxum, & eum tamē miſerum conſumunt. Hic populus Vtopienſibus aduerſus quoſuis mortales militat, quod tanti ab his eorum conducatur opera,
quan-

quanti nuſquam alibi. Vtopienſes ſiquidem vt bonos quærunt, quibus vtantur, ita hos quoque homines peſſimos, quibus abutantur, quos quum vſus poſtulat, magnis impulſos pollicitationibus, maximis obiiciunt periculis, vnde plerunque magna pars nunquam ad exigenda promiſſa reuertitur: ſuperſtitibus, quæ ſunt polliciti, bona fide, perſoluunt, quo ad ſimiles auſus incendantur. Neque enim penſi quicquam habent, quàm multos ex eis perdant. rati de genere humano maximam merituros gratiam ſe, ſi tota illa colluuie populi tam tetri ac nepharii, orbem terrarum purgare poſſent. Secundum hos eorum copiis vtuntur, pro quibus arma capiunt, deinde auxiliaribus cæterorum amicorum turmis. Poſtremo ſuos ciues adiun-

gunt, è quibus aliquem virtutis probatæ virum, totius exercitus summæ præficiunt. Huic duos ita substituunt, vti eo incolumi, ambo priuati sint, capto aut interempto, alter è duobus velut hæreditate succedat, eique ex euentu tertius, ne (vt sunt bellorum sortes variæ) periclitante duce, totus perturbetur exercitus. E quaq; ciuitate delectus exercetur ex his, qui sponte nomen profitentur. neque enim inuitus quispiam foras in militiam truditur, quod persuasum habeant, si quis sit natura timidior, non ipsum modo nihil facturum strenue, sed metum etiam comitibus incussurum. Cæterum si quod bellum ingruat in patriam, ignauos huiusmodi, modo valeant corpore, in naues mixtos melioribus collocant: Aut in mœnibus sparsim

ſim diſponunt, vnde non ſit refugiendi locus, ita ſuorum pudor hoſtis in manibus, atque adempta fugæ ſpes, timorem obruunt, & ſæpe extrema neceſſitas in virtutem vertitur. Ac ſicuti ad extremum bellum ex ipſis nemo protrahitur nolens, ita fœminas volentes in militiam comitari maritos, adeo non prohibent, vt exhortentur etiam, & laudibus incitẽt, profectas cum ſuo quanque viro, pariter in acie conſtituunt: tum ſui quenque liberi, affines, cognati circumſiſtunt, vt hi de proximo ſint mutuo ſibi ſubſidio, quos maxime ad ferendas inuicem ſuppetias natura ſtimulat. In maximo probro eſt coniunx abſque coniuge redux, aut amiſſo parẽte reuerſus filius. quo fit, vti ſi ad ipſorum manus ventum ſit modo perſtẽt hoſtes, lõgo

& lugubri prœlio ad internitionem vſque decernatur. Nempe vt omnibus curant modis ne ipſis dimicare neceſſe ſit, modo bello poſſint vicaria conductitiorum manu defungi. Ita quum vitari non poteſt, quin ipſi ineant pugnam, tam intrepide capeſſunt. quam quoad licuit, prudenter detrectabant. nec tam primo ferociunt impetu quam mora ſenſim & duratione inualeſcunt, tam offirmatis animis, vt interimi citius quam auerti queant: Quippe victus illa ſecuritas, quæ cuique domi eſt, ademptaque de poſteris anxia cogitandi cura (nam hæc ſolitudo generoſos vbique ſpiritus frangit) ſublimem & vinci dedignantem facit. Ad hæc militaris diſciplinæ peritia fiduciam præbet, poſtremo rectæ opiniones (quibus & doctrina, &
bonis

bonis Reipublicæ institutis imbuti à pueris sunt) virtutem addunt. qua neque tam vilem habent vitam, vt temere prodigant, neque tam improbè charam, vt quum honestas ponendam suadeat, auare turpiterque retineant. Dum vbique pugna maxima feruet, lectissimi iuuenes coniurati deuotique, ducem sibi deposcunt aduersum, hunc aperte inuadunt, hunc ex insidiis adoriuntur, idem eminus, idem cominus petitur, longoque ac perpetuo cuneo, summissis assidue in fatigatorum locum recentibus, oppugnatur. raroque accidit (ni sibi fuga prospiciat) vt non intereat, aut viuus in hostium potestatem veniat. Si ab ipsis victoria sit, haud quaquam cæde grassantur. fugatos enim comprehendunt, quam occidunt libentius. neque vn-

Dux potissimum impetendus, quo citius finiatur bellum.

quam ita persequuntur fugientes, vt non vnam interim sub signis instructam aciem retineant, adeo nisi cæteris superati partibus, postrema acie sua victoriam adepti sint, elabi potius hostes vniuersos sinant, quàm insequi fugientes, perturbatis suorum ordinibus insuescant. memores sibimet haud semel vsu venisse, vt mole totius exercitus victa profligataque, quum hostes victoria gestientes, hac atque illac abeuntes persequerētur, pauci ipsorum in subsidiis collocati, ad occasiones intenti, dispersos ac palantes illos, & præsumpta securitate negligentes derepente adorti, totius euentum prælii mutauerunt. extortaque è manibus tam certa & indubitata victoria, victi victores inuicem vicerunt. Haud facile dictu est, astutiores

res inſtruendis inſidiis, an cautiores ad vitandas ſient, fugam parare credas, quum nihil minus in animo habent, contra quum id conſilii capiunt, nihil minus cogitare putes. Nam ſi nimium ſeſe ſentiunt aut numero, aut loco premi, tunc aut noctu, agmine ſilente, caſtra mouent, aut aliquo ſtratagemate eludunt, aut interdiu ita ſenſim ſeſe referunt, tali ſeruato ordine, vt non minus periculi ſit cedentes quàm inſtantes adoriri. Caſtra diligentiſſime communiunt foſſa præalta lataque, terra quæ egeritur introrſum reiecta, nec in eam rem opera mediaſtinorum vtuntur, ipſorum manib. militum res agitur, totuſq; exercitus in opere eſt, exceptis qui ꝓ vallo in armis ad ſubitos caſus excubant. Itaque tã multis adnitentib. magna mul-

tumque amplexa loci munimenta, omni fide citius perficiunt.

Formæ armorum.

Armis vtuntur ad excipiendos ictus, firmis, nec ad motum geſtumve quemlibet ineptis, adeo vt ne natando quidem moleſta ſentiant. Nam armati natare inter militaris diſciplinæ rudimenta conſueſcunt, tela ſunt eminus ſagittæ, quas acerrime ſimul & certiſſime iaculantur, non pedites modo, ſed ex equis etiam: cominus vero non gladii, ſed ſecures vel acie letales, vel pondere, ſeu cæſim, ſeu punctim feriant. Machinas excogitant ſolertiſſime, factas accuratiſſime cælant, ne ante proditæ quam res poſtulet, ludibrio magis quam vſui ſint, in quibus fabricandis hoc in primis reſpiciunt, vti vectu faciles & habiles circumactu ſint.

De induciis.

Initas cum hoſtibus inducias tam ſan-

ćte obſeruant, vt ne laceſſiti quidem violent. Hoſtilem terram nõ depopulantur, neque ſegetes exurunt: imo ne hominum equorumve pedibus conterantur, quantum fieri poteſt, prouident, rati in ipſorum vſus creſcere. Inermem neminem lędunt, niſi idẽ ſpeculator ſit. Deditas vrbes tuẽtur, at nec expugnatas diripiunt: ſed per quos deditio eſt impedita, eos enecant, cæteris defenſoribus in ſeruitutem addictis. Imbellem turbam omnem relinquunt intactam. Si quos deditionem ſuaſiſſe compererint, his è damnatorum bonis aliquam partem impartiũt, reliqua ſectione auxiliares donant. Nam ipſorum nemo quicquam de præda capit. Cæterum confecto bello, non amicis impenſas in quos inſumpſere, ſed victis imputant, exi-

At hodie victores maximã partem dependunt.

exiguntq; eo nomine partim pecuniam quam in similes bellorũ vsus reseruant, partim prædia quę sint ipsis apud eos perpetua non exigui census. Huiusmodi reditus nunc apud multas gentes habent, qui variis ex causis paulatim nati, supra septingenta ducatorum millia in singulos annos excreuere, in quos è suis ciuibus aliquos emittunt, quęstorum nomine, qui magnifice viuant, personamque magnatum illic præ se ferant, at multum tamen superest quod inferatur ærario, nisi malint eidem genti credere, quod sæpe tantisper faciunt, quoad vti necesse sit, vixq; accidit vnquam, vt totam reposcãt. Ex his prædiis partem assignant illis, qui ipsorum hortatu tale discrimen adeunt, quale ante monstraui, si quis princeps armis aduersus eos sum-

ptis, eorum ditionem paret inuadere, magnis illico viribus extra ſuos fines occurrunt: nam neque temere in ſuis terris bellum gerunt, neq; vlla neceſſitas tanta eſt, vt eos cogat aliena auxilia in inſulam ſuam admittere.

DE RELIGIONIBVS Vtopienſium.

RELIGIONES ſunt non per inſulam modo, verũ ſingulas etiam vrbes variæ, aliis Solem, Lunam aliis, aliis aliud errantium ſyderum Dei vice venerantibus. Sunt quibus homo quiſpiam, cuius olim aut virtus, aut gloria enituit, non pro Deo tantum, ſed pro ſummo etiam Deo ſuſpicitur. At multo maxima pars, eademque longe prudentior, nihil horum, ſed vnum quoddam numen putãt, incognitum, æternum,

num, immenſum, inexplicabile, quod ſupra mentis humanæ captum ſit, per mũdum hunc vniuerſũ, virtute, nõ mole diffuſum, hunc parentem vocant, Origines, auctus, progreſſus, vices, fineſque rerum omnium. huic acceptos vni referunt, nec diuiuos honores alii præterea vlli applicant. Quin cæteris quoque omnibus, quanquam diuerſa credentibus, hoc tamen cum iſtis conuenit, quod eſſe quidem vnum cenſent ſummum, cui & vniuerſitatis opificium & prouidentia debeatur, eumq; communiter omnes patria lingua Mythram appellant, ſed eo diſſentiunt, quod idem alius apud alios habetur. Autumante quoque quicquid id ſit, quod ipſe ſummũ ducit, eandem illam prorſus eſſe naturam, cuius vnius numini ac maieſtati, rerum

omni-

omnium ſumma, omnium con-
ſenſu gentium tribuitur. Cæte-
rum paulatim omnes ab ea ſuper-
ſtitionum varietate deſciſcunt,
atque in vnam illam coaleſcunt
religionem, quæ reliquas ratione
videtur antecellere. Neque du-
bium eſt, quin cęterę iam pridem
euanuiſſent niſi quicquid impro-
ſperum cuiquam intermutandæ
religionis conſilia fors obieciſſet,
non id accidiſſe caſu, ſed cœlitus
immiſſum interpretaretur timor:
tãquam numine, cuius relinque-
batur cultus, impium contra ſe
propoſitum vindicante. At poſt-
eaquam acceperunt à nobis
CHRISTI nomen, doctrinam,
mores, miracula, nec minus mi-
randam tot martyrum conſtan-
tiã, quorũ ſpõte fuſus ſanguis, tam
numeroſas gẽtes in ſuã ſectã lon-
ge lateque traduxit, non credas
quàm

quàm pronis in eam affectibus etiam ipsi concesserint, siue hoc secretius, inspirante Deo, siue quod eadem ei visa est heresi proxima, quæ est apud ipsos potissima, quanquam hoc quoque fuisse non paulum momenti crediderim, quod CHRISTO communem suorum victum audierant placuisse, & apud germanissimos Christianorum conuentus adhuc in vsu esse. Certe quoquo id momento accidit, haud pauci nostram in religionem coierunt, lymphaque sacra sunt abluti. Verum quoniam in nobis quatuor (totidem enim duntaxat supereramus, nam duo fatis concesserant) nemo, id quod doleo, sacerdos erat, cæteris initiati, ea tamen adhuc sacramenta desiderant, quæ apud nos non nisi sacerdotes conferunt, intelli-

Cœnobia.

gunt

gunt tamen, optantq; ita, vt nihil vehementius, quin hoc quoq; ſedulo iam inter ſe diſputant, an ſine Chriſtiani Pontificis miſſu quiſquam è ſuo numero delectus ſacerdotii conſequatur characterem. & electuri ſanè videbantur. verum quum ego diſcederem, nondum elegerant. Quin hi quoque religioni Chriſtianæ, qui non aſſentiunt, neminem tamen abſterrent, nullum oppugnant imbutum. Niſi quod vnus è noſtro cœtu me præſente coërcitus eſt. Is quum recens ablutus, nobis cõtra ſuadentib. de CHRISTI cultu publice, maiore ſtudio quàm prudẽtia diſſereret, vſqueadeo cœpit incaleſcere, vt iã noſtra modo ſacra cæteris anteferret, ſed reliqua protenus vniuerſa dãnaret, prophana ipſa, cultores impios ac ſacrilegos, æterno ple-

Laude trahendi sunt homines ad religionem.

ctendos igni vociferaretur. Talia diu concionantem comprehendunt, ac reum non spretæ religionis, sed excitati in populo tumultus, agunt, peraguntque: damnatum exilio mulctant: siquidem hoc interim antiquissima institutâ numerant, ne sua cuiquam religio fraudi sit. Vtopus enim iam inde ab initio, quum accepisset incolas ante suum aduentum de religionibus inter se assidue dimicasse, atque animaduertisset eam rem quod in cõmune dissidentes, singulæ pro patria sectæ pugnabant, occasionem præstitisse sibi vincendarum omnium, adeptus victoriam, in primis sanxit, vti quam cuique religionem libeat sequi liceat, vt vero alios quoque in suam traducat, hactenus niti possit, vti placide ac modeste suã rationibus astruat, non vt acerbe

cæte-

cæteras deſtruat, ſi ſuadendo non perſuadeat, neque vim vllam adhibeat, & conuiciis temperet, petulantius hac de re contendentem, exilio aut ſeruitute mulctãt. Hæc Vtopus inſtituit non reſpectu pacis modo, quam aſſiduo certamine atque inexpiabili odio funditus vidit euerti, ſed quod arbitratus eſt, vti ſic decerneretur, ipſius etiam religionis intereſſe, de qua nihil eſt auſus temere definire, velut incertum habens, an varium ac multiplicem expetens cultum deus, aliud inſpiret alii. Certe vi ac minis exigere, & quod tu verum credis idem omnibus videatur, hoc vero & inſolens & ineptum cenſuit, tum ſi maxime vna vera ſit, cæteræ omnes vanæ, facile tamen præuidit (modo cum ratione ac modeſtia res agatur) futurum denique, vt ipſa per ſe

veri vis emergat aliquando atq; emineat, Sin armis & tumultu certetur, vt sint pessimi quiq; maxime puicaces, optimam ac sanctissimam religionem ob vanissimas inter se superstitiones, vt segetes inter spinas ac frutices obrutum iri. Itaq; hanc totam rem in medio posuit, & quid credendum putaret, liberum cuique reliquit. Nisi quod sancte ac seuere vetuit, ne quis vsqueadeo ab humanæ naturæ dignitate degeneret, vt animas quoq; interire cũ corpore, aut mundũ temere ferri, sublata prouidentia putet. atq; ideo post hanc vitam supplicia vitiis decreta, virtuti præmia cõstituta credunt. contra sentientem, ne in hominum quidem ducunt numero, vt qui sublimem animæ suæ naturam ad pecuini corpusculi vilitatem deiecerit.

tan-

tantum abeſt, vt inter ciues ponant, quorum inſtituta moreſq; (ſi per metum liceat)omnes floccifacturus ſit. Cui enim dubium eſſe poteſt,quin is publicas patrię leges, aut arte clàm eludere, aut vi nitatur infringere, dum ſuæ priuatim cupiditati ſeruiat, cui nullus vltra leges metus, nihil vltra corpus ſpei ſupereſt amplius. Quamobrem ſic animato nullus communicatur honos, nullus magiſtratus committitur, nulli publico muneri p̃ficitur. Ita paſſim velut inertis ac iacẽtis naturæ deſpicitur. Cæterum nullo afficiunt ſupplicio, quod p̱ſuaſum habeant, nulli hoc in manu eſſe, vt quicquid libet, ſentiat. ſed nec minis adigunt vllis, animũ vt diſſimulet ſuum, nec fucos admittũt & mendacia,quæ velut proxima fraudi, mirum quàm habent

inuisa. Verum ne pro sua disputet sententia, prohibent: atque id duntaxat apud vulgus. Nam alioquin apud sacerdotes grauesque viros seorsum, non sinunt modo, sed hortantur quoque, consisi fore, vt ea tandem vesania rationi cedat. Sunt & alii, nec hi sane pauci, nẽpe improhibiti, veluti neq; ratione penit⁹ pro se carẽtes, neq; mali, qui vitio longe diuerso, brutorum quoque æternas esse animas opinantur. At nostris tamen neque dignitate comparandas, neque ad æquam natas felicitatẽ. hominum enim cuncti fere tam immensam fore beatitudinem, pro certo atque explorato habẽt, vt morbum lamententur omnium, mortem vero nullius, nisi quem vident anxie è vita inuitumque diuelli. Nempe hoc pro pessimo habent augurio, tãquam

Mira opinio de animab. brutorum.

ani-

anima exſpes ac male conſcia, occulto quopiam imminentis pœnæ præſagio, reformidet exitum. Ad hoc haudquaquam gratum deo, eius putant aduentum fore, qui quum ſit accerſitus, non accurrit libens, ſed inuitus ac detrectans pertrahitur. Hoc igitur mortis genus, qui intuentur horrent, itaque defunctos mœſti ac ſilentes efferunt, precatique propitium manibus deum, vti eorum clementer infirmitatibus ignoſcat, terra cadauer obruũt. Cõtra, quicunq; alacriter ac pleni bona ſpe deceſſerint, hos nemo luget, ſed cantu proſequuti funus, animas deo, magno commendantes affectu, corpora tandem reuerenter magis quam dolenter concremant, columnamque loco inſculptis defuncti titulis erigunt. domum reuerſi, mores actaque

eius recenſent, nec vlla vitæ pars aut ſæpius, aut libentius quã lætus tractatur interitus. Hanc probitatis memoriam & viuis efficaciſſima rentur incitamenta virtutũ, & gratiſſimum defunctis cultum putant, quos intereſſe quoq; de ſe ſermonib. opinantur, quanquam (vt eſt hebes mortalium acies) inuiſibiles. Nam neq; felicium ſorti cõueniat, libertate carere migrãdi quo velint, & ingratorum fuerit prorſus abieciſſe deſiderium amicos inuiſendi ſuos, quibus eos dum viuerent, mutuus amor charitaſque deuinxerat, quanquam bonis viris, vt cætera bona, auctã poſt fata potius, quàm imminutam coniectant. Mortuos ergo verſari inter viuentes credunt, dictorum factorumque ſpectatores, eoque res agendas fidentius aggrediuntur, talibus velut freti

freti præſidibus, & ab inhoneſto ſecreto deterret eos, credita maiorum præſentia. Auguria, cæteraſque ſuperſtitionis vanæ diuinationes, quarum apud alias gentes magna eſt obſeruatio, negligunt prorſus atque irrident. Miracula vero, quæ nullo naturæ proueniunt adminiculo, velut præſentis opera, teſteſque numinis venerantur. qualia & ibi frequenter extare ferunt, & magnis interdum ac dubiis in rebus publica ſupplicatione, certa cum fiducia procurant, impetrantque. Gratum Deo cultum putant naturæ contemplationẽ, laudemq; ab ea. ſunt tamẽ, hiq; haud ſanè pauci, qui religione ducti, literas negligũt, nulli rerum cognitioni ſtudẽt, neq; ocio prorſus vlli vacant, negociis tantum, bonisque in cæteris officiis *Vita actiua.*
 ſta-

ſtatuunt, futuram poſt fata felicitatem promereri. Itaque alii ægrotis inſeruiunt, alii vias reficiunt, purgant foſſas, pontes reparant, ceſpites, arenam, lapides effodiunt, arbores demoliuntur ac diſſecant, bigisque ligna, fruges, item alia in vrbes important, nec in publicum modo, ſed priuatim quoque miniſtros ac plus quam ſeruos agunt. Nam quicquid vſquam operis eſt aſperum, difficile, ſordidum, à quo pleroſque labor, faſtidium, deſperatio deterreat, hoc illi ſibi totum libentes hilaresque deſumunt, cæteris ocium procurant, ipſi perpetuo in opere ac labore verſantur, nec imputant tamen, nec aliorum ſugillant vitam, nec ſuam efferunt. Hi quo magis ſeſe ſeruos exhibẽt, eo maiore apud omnes in honore ſunt. Eorum tamen hæreſes

duæ

duæ ſunt, Altera cœlibum, qui nō Venere modo in totum abſtinēt, ſed carnium eſu quoque, quidam animalium etiam omnium, reiectisq; penitus tanquam noxiis vitæ præſentis voluptatibus, futuræ duntaxat, per vigilias ac ſudores inhiāt, eius propediem obtinendæ ſpe. alacres interim vegetique. Altera laboris haud minus appetens, coniugium præfert, vt cuius nec aſpernantur ſolatium, & opus, naturę debere ſe, & patrię liberos putant. Nullam voluptatē refugiunt, quæ nihil eos ab labore demoretur. Carnes quadrupedum vel eo nomine diligūt, quod tali cibo ſe validiores ad opus quodque cenſeant. Hos Vtopiani prudentiores, at illos ſanctiores reputant. Quos quod cœlibatum anteferūt matrimonio, aſperamque vitam placidæ anteponunt, ſi

rationibus niterentur irriderent, nunc vero quum se fateantur religione duci, suspiciunt ac reuerentur. Nihil enim solicitius obseruãt, quàm ne temere quicquã vlla de religione pronuncient. Huiusmodi ergo sunt, quos illi peculiari nomine, sua lingua Buthrescas vocant, quod verbum latine religiosos licet interpretari. Sacerdotes habent eximia sanctitate, eoq; admodum paucos. neq; enim plus quàm tredecim in singulis habent vrbibus pari templorum numero, nisi quum itur ad bellum. tunc enim septem ex illis cum exercitu profectis, totidem sufficiuntur interim, sed illi reuersi, suũ quisq; locum recuperat, qui supersunt, hi quoad decedentibus illis ordine succedant, comites interea sunt Pontificis. Nam vnus reliquis præficitur.

Eli-

Eliguntur à populo, idq; cætero-
rum ritu magiſtratuū, occultis, ad
ſtudia vitanda, ſuffragiis, electi à
ſuo collegio conſecrantur. Hi re-
bus diuinis præſunt, religiones
curant, ac morum veluti cēſores
ſunt, magnoq; pudori ducitur ab
his quenquam tanquam vitæ pa-
rum probatæ accerſi, compella-
rive. Cæterum vt hortari atq; ad-
monere illorum eſt, ita coërcere
atque in facinoroſos animaduer-
tere principis atque aliorum eſt
magiſtratuum, niſi quod ſacris
interdicunt, quos improbe ma-
los comperiunt. nec vllum fere
ſuppliciū eſt quod horreant ma-
gis. Nam & ſumma percellun-
tur infamia, & occulto religionis
metu lacerantur, ne corporibus
quidem diu futuris in tuto. quip-
pe ni properam pœnitentiam ſa-
cerdotibus approbent, compre-

hensi impietatis pœnam Senatui persoluunt, pueritia iuuentusque ab illis eruditur, nec prior literarum cura, quam morum ac virtutis habetur, namq; summam adhibent industriã, vt bonas protenus opiniones, & conseruandæ ipsorum reipublicæ vtiles, teneris adhuc, & sequacibus puerorum animis instillent, quæ vbi pueris penitus insederint; viros per totam vitam comitantur, magnamq; ad tuendum publicæ rei statum (qui non nisi vitiis dilabitur, quæ ex peruersis nascuntur opinionibus) afferunt vtilitatem. Sacerdotibus (ni fœminæ sint. nam neque ille sexus excluditur, sed rarius, & non nisi vidua natuque grandis eligitur) vxores sunt popularium selectissimæ. Neque enim vlli apud Vtopienses magistratui maior habetur honos vsque-

Fœminæ sacerdotes.

vſqueadeo, vt ſi quid etiam flagitii admiſerint, nulli publico iudicio ſubſint, deo tantum ac ſibi relinquuntur. Neque enim fas putãt illum, quantumuis ſceleſtum, mortali manu cõtingere, qui deo tam ſingulari modo velut anathema dedicatus eſt. Qui mos illis facilior eſt obſeruatu, quod ſacerdotes & tã pauci, & tanta cum cura deliguntur.

Excommunicatio.

Nam neque temere accidit, vt qui ex bonis optimus ad tantam dignitatem, ſolius reſpectu virtutis euehitur in corruptelam & vitium degeneret, & ſi iam maxime cõtingeret, vt eſt mortalium natura mutabilis, tamen qua ſunt paucitate, nec vlla præter honorẽ poteſtate præditi, ad publicam certe perniciẽ nihil magni ab his momenti pertimeſcendum ſit. Quos ideo tam raros atque infrequentes habent,

At apud nos quãt. turba eſt

ne dignitas ordinis, quem nunc tanta veneratione prosequuntur, cõmunicato cum multis honore vilesceret, præsertim quum difficile putent frequentes inuenire tam bonos, vt ei sint dignitati pares, ad quam gerendam non sufficit mediocribus esse virtutibus. Nec eorum æstimatio apud suos magis, quàm apud exteras etiam gentes habetur, quod inde facile patet, vnde etiam natum puto. Nempe decernentib. prælio copiis, seorsum illi non admodum procul considunt in genibus, sacras induti vestes, tensis ad cœlum palmis, primum omnium pacem, proxime, suis victoriam, sed neutri cruentam parti comprecantur. Vincentibus suis decurrunt in aciem, sæuientesq; in profligatos inhibent, vidisse tantum atque appellasse præsentes

O sacerdotes nostris longe sanctiores

ad

ad vitam ſatis, diffluentium contactus veſtium, reliquas quoque fortunas ab omni bellorum iniuria defendit. Qua ex re apud omnes vndique gentes, tanta illis veneratio, tantum veræ maieſtatis acceſſit, vt ſæpe ab hoſtib. non minus ſalutis ad ciues reportarint, quàm ab ipſis ad hoſtes attuliſſent. Siquidem aliquando conſtat, inclinata ſuorum acie, deſperatis rebus, quum ipſi in fugam verterentur, hoſtes in cædem ac prædam ruerent, interuentu ſacerdotum interpellatam ſtragē, ac diremptis inuicem copiis, pacem ęquis conditionibus eſſe cōpoſitam atque conſtitutam. Neque enim vnquam fuit vlla gens tam fera, crudelis, ac barbara, apud quos ipſorum corpus non ſacroſanctum atque inuiolabile ſit habitum. Feſtos celebrant ini-

Festorum dierum apud Vtopienses obseruatio.

initialem atque vltimum cuiusq; mẽsis diem, & anni item, quem in menses partiuntur, circuitu lunæ finitos, vt solis ambitus annum circinat. Primos quosq; dies Cynemernos, postremos ipsorum lingua Trapemernos appellant, quæ vocabula perinde sonant, ac si primifesti & finifesti vocentur. Delubra visuntur egregia, vtpote nõ operosa modo, sed quod erat in tanta ipsorum paucitate necessarium, immensi etiam populi capacia. Sunt tamẽ omnia subobscura, nec id ædificandi inscitia factum, sed consilio sacerdotum ferunt, quod immodicam lucẽ cogitationes dispergere, partiore ac velut dubia colligi animos, & intendi religionem putant, quæ quoniam non est ibi apud omnes eadem & vniuersæ tamen eius formæ, quanquam

Tẽpla cuiusmodi.

quam variæ ac multiplices, in diuinæ naturæ cultum velut in vnũ finem diuersa via commigrant. idcirco nihil in templis visitur auditurve, quod non quadrare ad cunctas in commune videatur. Si quod proprium sit cuiusquam sectæ sacrum, id intra domesticos quisque parietes curat. Publica tali peragunt ordine, qui nulli prorsus ex priuatis deroget. Itaque nulla deorũ effigies in templo conspicitur, quo liberum cuique sit, qua forma deum velit è summa religione concipere, nullum peculiare dei nomen inuocant, sed Mythræ duntaxat, quo vocabulo cuncti in vnam diuinæ maiestatis naturam, quæcunq; sit illa, cõspirant, nullæ concipiũtur preces, quas nõ pronunciare quiuis inoffensa sua secta possit. Ad templum ergo in finifestis diebus vespe-

vespere conueniunt, adhuc ieiuni, acturi Deo de anno mense ve, cuius id festum postremus dies est, prospere acto, gratias, postero die, nam is primifestus est, mane ad templa confluitur, vt insequẽtis anni mensis ve, quẽ ab illo auspicaturi festo sint, faustum felicemque successum comprecentur. At in finifestis antea quàm templum petunt vxores, domi ad virorum pedes, liberi ad parentum prouoluti, peccasse fatentur sese aut admisso aliquo, aut officio indiligenter obito, veniamque errati precantur. ita si qua se nubecula domesticæ simultatis offuderat, tali satisfactione discutitur, vti animo puro ac sereno sacrificiis intersint. nam interesse turbido, religio est. eoq; odii iræve in quenquã sibi conscii, nisi recõciliati, ac defecatis affectib. ad sacri-

Confessio Vtopiensium.

At apud nos qui sunt inquinatissimi, aris proximi esse contendunt.

ſacrificia non ingerunt ſeſe, vindictæ ſceleris, magnæq; metu. Eò quum veniunt, viri in dextrã delubri partem, fœminæ ſeorſum in ſiniſtram commeant. tum ita ſe collocãt, vt cuiuſque domus maſculi ante patremfamilias conſideant, fœminarum materfamilias agmen claudat. Ita proſpicitur, vti omnes omnium geſtus foris ab his obſeruentur, quorum autoritate domi ac diſciplina regũtur, quin hoc quoque ſedulo cauent, vti iunior ibi paſſim cum ſeniore copuletur, ne pueri pueris crediti, id temporis puerilibus tranſigãt ineptiis, in quo deberẽt maxime religioſum erga ſuperos metũ, maximum ac propè vnicũ virtutib. incitamentum concipere. Nullũ animal in ſacrificiis mactant, nec ſanguinerentur, ac cædibus diuinam gaudere clementiam,

tiam, qui vitam animantibus ideo est elargitus, vt viuerent, Thus incendunt, & alia item odoramenta, ad hæc cereos numerosos præferunt, non quod hæc nesciant nihil ad diuinam conferre naturam, quippe vt nec ipsas hominum preces, sed & innoxium colendi genus placet & his odoribus luminibusque, ac cæteris etiam ceremoniis, nescio quomodo sese sentiũt homines erigi, atque in dei cultum animo alacriore consurgere. Candidis in templo vestib. amicitur populus, sacerdos versicolores induitur, & opere & forma mirabiles, materia non perinde preciosa. neque enim auro intextæ, aut raris coagmẽtatæ lapidibus, sed diuersis auium plumis tam scite, tantoq; artificio laboratæ sunt, vt operis precium nullius ęstimatio materiæ

teriæ fuerit æquatura. Ad hoc in illis volucrum pennis plumisque & certis earum ordinibus, quibus in ſacerdotis veſte diſcriminantur arcana quædam dicunt contineri myſteria, quorũ interpretatione cognita (q̃ per ſacrificos diligenter traditur) diuinorum in ſe beneficiorum, ſuæq; viciſſim pietatis in deum, ac mutui quoque inter ſe officii admoneantur. Quum primum ſacerdos ita ornatus ex adyto ſeſe offert, cuncti protinus in terram venerabundi procumbunt, tam alto ab omni parte ſilentio, vt ipſa rei facies terrorem quendam velut præſentis cuiuſpiam numinis incutiat. Tellure paulum morati dato ab ſacerdote ſigno, erigunt ſeſe. tum laudes deo canunt, quas muſicis inſtrumentis interſtingunt, aliis magna ex parte formis, quã quæ noſtro

Muſica Vtopienſium.

noſtro viſuntur orbe. Ex illis pleraq;, ſicuti quæ nobis in vſu ſunt, multum ſuauitate vincunt, ita quædam noſtris ne conferenda quidē ſint. Verum vna in re haud dubie longo nos interuallo præcellunt, quod omnis eorum muſica, ſiue quæ perſonatur organis ſiue quam voce modulantur humana, ita naturales affectus imitatur & exprimit, ita ſonus accōmodatur ad rem, ſeu deprecantis oratio ſit, ſeu læta, placabilis, turbida, lugubris, irata, ita rei ſenſum quendam melodiæ forma repræſentat, vt animos auditorum mirum in modum afficiat, penetret, incendat. ſolennes ad vltimum conceptis verbis preces, ſacerdos pariter populuſque percenſent, ita compoſitas, vt quæ ſimul cuncti recitant, priuatim quiſque ad ſemet referat. In his.

Deum

Deum & creationis, & guberna-
tionis, & cæterorum prętere a bo-
norum omnium, quilibet recog-
noſcit autorem, tot ob recepta
beneficia gratias agit, nominatim
vero quod Deo propitio in eam
rempublicam inciderit, quæ ſit
feliciſſima, eam religionem ſorti-
tus ſit, quam ſperet eſſe veriſſimã.
Qua in re ſi quid erret, aut ſi quid
alterutra melius, & quod Deus
magis approbet, orare ſe eius bo-
nitas efficiat, hoc vt ipſe cogno-
ſcat. paratum enim ſequi ſe qua-
qua verſus ab eo ducatur, ſin &
hæc Reip. forma ſit optima, & ſua
religio rectiſſima, tum vti & ipſi
conſtantiam tribuat, & cæteros
mortales omneis ad eadem inſti-
tuta viuendi in eandem de Deo
opinionem perducat, niſi inſcru-
tabilẽ eius volũtatẽ etiam ſit, ꝙ in
hac religionũ varietate delectet.

Deniq; precatur, vt facile defun-ctum exitu ad se recipiat, quã cito serove præfinire quidem non audere se. Quanquã quod inoffensa eius maiestate fiat, multo magis ipsi futurum cordi sit, difficillima morte obita, ad deum peruadere, quam ab eo diutius prosperimo vitæ cursu destineri. Hac prece dicta, rursus in terram proni, pauloque post erecti, discedũt prãsum, & quod superest diei, ludis & exercitio militaris disciplinę percurrũt. Descripsi vobis quã potui verissime eius formã Reip. quam ego certe non optimam tantum, sed solam etiam censeo, quæ sibi suo iure possit Reip. vendicare vocabulum. Siquidem alibi, de publico loquentes vbique commodo, priuatum curant. Hic vbi nihil priuati est, serio publicum negociũ agũt, certe vtrobiq;

merito.

merito. Nam alibi, quotus quiſq; eſt qui neſciat niſi quid ſeorſum proſpiciat ſibi, quantumuis florente Rep. ſemet tamen fame periturũ, eoq; neceſſitas vrget, vt ſui potius quam populi, id eſt, aliorũ habendam ſibi rationem cenſeat. Cõtra hic, vbi omnia omniũ ſunt, nemo dubitat (curetur modo, vt plena ſint horrea publica) nihil quicquam priuati cuiquam defuturum. Neque enim maligna rerum diſtributio eſt, neque inops, neq; mendicus ibi quiſquam. & quum nemo quicquam habeat, omnes tamen diuites ſunt. Nam quid ditius eſſe poteſt, quam adempta prorſus omni ſolicitudine, læto ac tranquillo animo viuere? non de ſuo victu trepidum, non vxoris querula flagitatione vexatũ, nõ paupertatem filio metuentem, non de filiæ dote anxium,

N ſed

ſed de ſuo, ſuorumque omnium, vxoris, filiorum, nepotũ, pronepotum, abnepotum, & quam longam poſterorum ſeriem ſuorum, generoſi præſumunt victu eſſe, ac felicitate ſecurum. Quid quod nihilo minus his proſpicitur, qui nunc impotes olim laborauerunt quam his qui nunc laborant. Hic aliquis velim cum hac æquitate audeat aliarum iuſtitiam gẽtium comparare, apud quas diſpereã, ſi vllum prorſus comperio iuſtitiæ æquitatisque veſtigium. Nam quæ hæc iuſtitia eſt, vt nobilis quiſpiam aut aurifex, aut fœnerator, aut denique alius quiſquam eorum, qui aut omnino nihil agunt, aut id quod agunt, eius generis eſt, vt nõ ſit Reipublicæ magnopere neceſſarium, lautam ac ſplendidam vitam, vel ex ocio, vel ſuperuacuo negocio cõſequatur,

quum interim mediaſtinus, auriga, faber, agricola, tanto tamque aſſiduo labore, quem vix iumenta ſuſtineant, tam neceſſario, vt ſine eo ne vnum quidem annum poſſit vlla durare Reſpub. victum tamen adeo malignum parant, vitam adeo miſeram ducunt, vt longe potior videri poſſit conditio iumentorum, quibus nec tam perpetuus labor, nec victus multo deterior eſt, & ipſis etiã ſuauior, nec vll⁹ interim de futuro timor. At hos & labor ſterilis atque infructuoſus, in præſenti ſtimulat, & inopis recordatio ſenectutis occidit, quippe quibus parcior eſt diurna merces, quam vt eidem poſſit diei ſufficere tantum abeſt vt excreſcat, & ſuperſit aliquid, quod quotidie queat in ſenectutis vſũ reponi. An nõ hæc iniqua eſt & ingrata reſpublica,

quæ generoſis, vt vocant, & aurificibus, & id genus reliquis, aut ocioſis, aut tantum adulatoribus, & inanium voluptatũ artificibus, tanta munera prodigit, agricolis contra, carbonariis, mediaſtinis, aurigis & fabris, ſine quibus nulla omnino Reſp. eſſet, nihil benigne proſpicit? Sed eorum florentis ætatis abuſa laboribus, annis tandem ac morbo graues, omnium rerum indigos, tot vigiliarum immemor, tot ac tãtorum oblita beneficiorum, miſerrima morte repenſat ingratiſſima. Quid quod ex diurno pauperum demenſo, diuites quotidie aliquid, non modo priuata fraude, ſed publicis etiam legibus abradũt, ita quod ante, videbatur iniuſtum, optime de Rep. meritis peſſimam referre gratiam, hoc iſti deprauatum etiã fecerunt, tum prouulgata lege iuſtiti-

ſtitiã. Itaq; omnes has, quæ hodie vſquam florent Reſpub. animo intuenti ac verſanti mihi, nihil, ſic me amet deus, occurrit aliud quam quædã cõſpiratio diuitum, de ſuis commodis Reip. nomine tituloque tractantium. comminiſcunturque & excogitant omnes modos atq; artes, quibus, quę malis artibus ipſi congeſſerunt, ea primum vt abſque perdendi metu retineant, poſt hoc vt pauperum omnium opera ac laboribus quam minimo ſibi redimant, eisque abutãtur. Hęc machinamenta vbi ſemel diuites publico nomine, hoc eſt etiam pauperum, decreuerunt obſeruari, iam leges fiũt. At homines deterrimi, cum inexplebili cupiditate, quæ fuerãt omnibus ſuffectura, ea omnia inter ſe partiuerint, quam longe tamen ab Vtopienſium Reip. feliciꝰ

Hæc annota lector.

licitate abſunt? è qua cum ipſo vſu ſublata penitus omni auiditate pecuniæ, quanta moles moleſtiarum reciſa, quāta ſcelerum ſeges radicitus euulſa eſt? Quis enim neſcit fraudes, furta, rapinas, rixas, tumultus, iurgia, ſeditiones, cædes, ꝓditiones, veneficia, quotidianis vindicata potius, quam refrenata ſuppliciis, interempta pecunia commori, ad hæc metum, ſolicitudinē, curas, labores, vigilias, eodem momēto quo pecunia perituras. quin paupertas ipſa quæ ſola pecuniis viſa eſt indigere, pecunia proſus vndiq; ſublata, protinus etiam ipſa decreſceret. Id quo fiat illuſtrius, reuolue in animo tecum annum aliquem ſterilem atq; infœcūdum, in quo multa hominum millia fames abſtulerit, contendo plane in fine

illius

illius penuriæ, excuſſis diuitum horreis, tantum frugum potuiſſe reperiri, quantum ſi fuiſſet inter eos diſtributum, quos macies ac tabes abſumpſit, illam cœli ſoliq; parcitatem nemo omnino ſenſiſſet. tam facile victus parari poſſet, niſi beata illa pecunia, quæ præclare ſcilicet inuenta eſt, vt aditus ad victum per eam pateſceret, ſola nobis ad victum viam intercluderet. Sentiunt iſta, nõ dubito, etiam diuites, nec ignorant quanto potior eſſet illa conditio nulla re neceſſaria carere, quam multis abundare ſuperfluis, tam numeroſis eripi malis, quam magnis obſideri diuitiis. Neque mihi quidem dubitare ſubit, quin vel ſui cuiuſque commodi ratio, vel CHRISTI ſeruatoris autoritas (qui neq; pro tanta ſapientia potuit ignorare quid optimũ eſſet,

neq; qua erat bonitate id consu-
Mire dictum.
lere, quod non optimum sciret) totum orbē facile in huius Reip. leges iamdudum traxisset, nisi vna tantū bellua, omniū princeps parensque pestium superbia, reluctaretur, hæc non suis commodis prosperitatem, sed ex alienis metitur incōmodis. Hæc ne dea quidē fieri vellet, nullis relictis miseris, quibus imperare atque insultare possit. Quorum miseriis præfulgeat ipsius comparata felicitas, quorum suis explicatis opibus, angat atq; incendat inopiam. Hæc auerni serpens mortalium pererrans pectora, ne meliorem vitæ capessant viam, velut remora retrahit ac remoratur. quæ quoniā pressius hominibus infixa est, quam vt facile possit euelli. Hanc Reip. formam, quam omnibus libenter optarim, Vtopiensi-

bus

bus ſaltem contigiſſe gaudeo, qui ea vitæ ſunt inſtituta ſequuti, quibus Reip. fundamenta iecerunt, non modo feliciſſime, verumetiã quantum humana præſagiri coniectura cõtigit, æternum duratura. Extirpatis enim domi cum cæteris vitiis ambitionis, & factionum radicibus, nihil impẽdet periculi, ne domeſtico diſſidio laboretur, quæ vna multarum vrbium egregie munitas opes peſſundedit. At ſalua domi concordia, & ſalubribus inſtitutis, non omnium finitimorũ inuidia principũ (quæ ſæpius id iam olim ſemper reuerberata tentauit) concutere illud imperium, aut commouere queat. Hæc vbi Raphaël recenſuit, quanquã haud pauca mihi ſuccurrebant, quæ in eius populi moribus legibusq; perquam abſurde videbantur inſtituta,

non

non ſolum de belli gerendi ratione, & rebus diuinis, ac religione, aliisq; inſuper eorum inſtitutis, ſed in eo quoque ipſo maxime, q̃ maximũ totius inſtitutionis fundamentum eſt vita ſcilicet, victuque communi, ſine vllo pecuniæ commercio, qua vna re funditus euertitur omnis nobilitas, magnificentia, ſplendor, maieſtas, vera, vt publica eſt opinio, decora atque ornamenta Reipub. tamen quoniam defeſſum narrãdo ſciebam, neque mihi ſatis exploratum erat, poſſet ne ferre, vt contra ſuam ſententiam ſentiretur, præſertim quod recordabar eo nomine quoſdam ab illo reprehẽſos, quaſi vererẽtur, ne nõ ſatis putarentur ſapere, niſi aliquid inuenirẽt, in quo vellicare aliorum inuenta poſſent, idcirco & illorum inſtitutione, & ipſius oratione lau-

ne laudata, manu apprehendens, intro cœnatum duco, præfatus tamẽ aliud nobis tempus, iisdem de rebus altius cogitandi, atque vberius cum eo conferendi fore. quod vtinam aliquando contingeret. Interea quemadmodum haud possum omnibus assentiri quæ dicta sunt, alioqui ab homine citra controuersiam eruditissimo, simul & rerũ humanarum peritissimo, ita facile confiteor permulta esse in Vtopiensium republica, quæ in nostris ciuitatibus optarim verius, quam sperarim.

SECVNDI LIBRI FINIS.